# MISSALE ROMANVM

EX DECRETO SACROSANCTI CONCILII TRIDENTINI RESTITVTVM, PII V. PONT. MAX. IVSSV EDITVM, ET CLEMENTIS VIII. PRIMVM, NVNC DENVO VRBANI PAPÆ OCTAVI AVCTORITATE RECOGNITVM.

In quo MISSÆ propriæ de SANCTIS ad longum poſitæ ſunt ad maiorem celebrantium commoditatem.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. LXVI.

Alonso de
[illegible]

# PIVS EPISCOPVS

## SERVVS SERVORVM DEI,

### AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

QVO primùm tempore ad Apoſtolatus apicem aſſumpti fuimus, ad ea libenter animum vireſq; noſtras intendimus, & cogitationes omnes direximus, quæ ad Eccleſiaſticum purum retinendum cultum pertinerent, eaq; parare, &, Deo ipſo adiuuante, omni adhibito ſtudio efficere contendimus. Cumq; inter alia ſacri Tridentini Concilij decreta, nobis ſtatuendum eſſet de ſacris libris, Catechiſmo, Miſſali, & Breuiario, edendis atque emendandis: edito iam, Deo ipſo annuente, ad populi eruditionem Catechiſmo, & ad debitas Deo perſoluendas laudes Breuiario caſtigato, omnino, vt Breuiario Miſſale reſponderet, vti congruum eſt & conueniens (cùm vnum in Eccleſia Dei pſallendi modum, vnum Miſſæ celebrandæ ritum eſſe maximè deceat) neceſſe iam videbatur, vt quod reliquum in hac parte eſſet, de ipſo nempe Miſſali edendo, quàm primùm cogitaremus. Quare eruditis delectis viris onus hoc demandandum duximus: qui quidem diligenter collatis omnibus cum vetuſtis noſtræ Vaticanæ Bibliothecæ, aliiſq; vndique conquiſitis, emendatis atque incorruptis codicibus; nec non veterum conſultis ac probatorum auctorum ſcriptis, qui de ſacro eorumdem rituum inſtituto monumenta nobis reliquerunt, ad priſtinam Miſſale ipſum ſanctorum Patrum normam ac ritum reſtituerunt. Quod recognitum iam & caſtigatum, maturè adhibita conſideratione, vt ex hoc inſtituto, cœptoq; labore, fructus omnes percipiant, Romæ quàm primùm imprimi, atque impreſſum edi mandauimus; nempe vt ſacerdotes intelligant, quibus precibus vti, quos ritus, quáſve cæremonias in Miſſarum celebratione retinere poſthac debeant. Vt autem à ſacroſancta Romana Eccleſia, ceterarum Eccleſiarum matre & magiſtra, tradita vbique amplectantur omnes & obſeruent, ne in poſterum perpetuis futuris temporibus in omnibus Chriſtiani orbis prouinciarum Patriarchalibus, Cathedralibus, Collegiatis & Parochialibus, ſæcularibus, & quorumuis Ordinum, Monaſteriorum, tam virorum, quàm mulierum, etiam Militiarum regularibus, ac ſine cura Eccleſiis, vel Capellis, in quibus Miſſa Conuentualis alta voce cum Choro, aut demiſſa celebrari iuxta Romanæ Eccleſiæ ritum conſueuit, vel debet, aliàs quàm iuxta Miſſalis à nobis editi formulam decantetur, aut recitetur, etiamſi eædem Eccleſiæ quouis modo exemptæ Apoſtolicæ Sedis indulto, conſuetudine, priuilegio, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel aliis quibuſuis facultatibus munitæ ſint: niſi ab ipſa prima inſtitutione à Sede Apoſtolica approbata, vel conſuetudine, quæ, vel ipſa inſtitutio ſuper ducentos annos Miſſarum celebrandarum in eiſdem Eccleſiis aſſiduè obſeruata ſit: à quibus, vt præfatam celebrandi conſtitutionem, vel conſuetudinem nequaquam auferimus; ſic ſi Miſſale hoc, quod nunc in lucem edi curauimus, iiſdem magis placeret, de Epiſcopi, vel Prælati, Capituliq; vniuerſi conſenſu, vt quibuſuis non obſtantibus, iuxta illud Miſſas celebrare poſſint, permittimus: ex aliis verò omnibus Eccleſiis præfatis eorumdem Miſſalium vſum tollendo, illaq; penitus & omnino reijciendo, ac huic Miſſali noſtro nuper edito, nihil vnquam addendum, detrahendum, aut immutandum eſſe decernendo, ſub indignationis noſtræ pœna, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione ſtatuimus & ordinamus. Mandantes, ac diſtrictè omnibus & ſingulis Eccleſiarum prædictarum Patriarchis, Adminiſtratoribus, aliiſq; perſonis quacumque Eccleſiaſtica dignitate fulgentibus, etiamſi S. R. E. Cardinales, aut cuiuſuis alteriùs gradus & præeminentiæ fuerint, illis in virtute ſanctæ obedientiæ præcipientes, vt ceteris omnibus rationibus & ritibus ex aliis Miſſalibus quantumuis vetuſtis hactenus obſeruari conſuetis, in poſterum penitus omiſſis, ac planè reiectis, Miſſam iuxta ritum, modum ac normam, quæ per Miſſale hoc à Nobis nunc traditur, decantent, ac legant: neque in Miſſæ celebratione alias cæremonias, vel preces, quàm quæ hoc Miſſali continentur, addere, vel recitare præſumant. Atque vt hoc ipſum Miſſale in Miſſa decantanda, aut recitanda, in quibuſuis Eccleſiis abſque vllo conſcientiæ ſcrupulo, aut aliquarum pœnarum, ſententiarum, & cenſurarum incurſu poſthac omnino ſequantur, eoq; liberè & licitè vti poſſint & valeant, auctoritate

*Apoſtolica, tenore præſentium, etiam perpetuò concedimus & indulgemus. Néve Præſules, Adminiſtratores, Canonici, Capellani, & alij quocumque nomine nuncupati Presbyteri ſæculares, aut cuiuſuis Ordinis regulares, ad Miſſam aliter, quàm à nobis ſtatutum eſt, celebrandam teneantur: neque ad Miſſale hoc immutandum à quolibet cogi & compelli, præſentéſve litteræ vllo vmquam tempore reuocari, aut moderari poſsint, ſed firmæ ſemper & validæ in ſuo exiſtant robore, ſimiliter ſtatuimus & declaramus. Non obſtantibus præmiſsis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac in prouincialibus & ſynodalibus Concilijs editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus: nec non Eccleſiarum prædictarum vſu, longiſsima & immemorabili præſcriptione, non tamen ſupra ducentos annos, roborato, ſtatutis & conſuetudinibus contrariis quibuſcumque. Volumus autem, & eadem auctoritat e decernimus, vt poſt huius noſtræ conſtitutionis ac Miſſalis editionem, qui in Romana adſunt Curia Presbyteri, poſt menſem; qui verò intra montes, poſt tres, & qui vltra montes incolunt, poſt ſex menſes, aut cùm primùm illis Miſſale hoc venale propoſitum fuerit, iuxta illud Miſſam decantare vel legere teneantur. Quod vt vbique terrarum incorruptum, ac mendis & erroribus purgatum præſeruetur, omnibus in noſtro & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ dominio mediatè vel immediatè ſubiecto commorantibus impreſſoribus, ſub amiſsionis librorum ac centum ducatorum auri Cameræ Apoſtolicæ ipſo facto applicandorum; alijs verò in quacumque orbis parte conſiſtentibus ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & alijs arbitrij noſtri pœnis, ne ſine noſtra, vel ſpecialis ad id Apoſtolici Commiſſarij, in eiſdem partibus à nobis conſtituendi, ac niſi per eumdem Commiſſarium eidem impreſſori Miſſalis exemplum, ex quo aliorum imprimendorum ab ipſo impreſſore erit accipienda norma, cum Miſſali in vrbe ſecundùm magnam impreſsionem impreſſo collatum fuiſſe, & concordare, nec in vllo penitus diſcrepare priùs plena fides facta fuerit, imprimere, vel proponere, vel recipere vllo modo audeant vel præſumant, auctoritate Apoſtolica, & tenore præſentium ſimilibus inhibemus. Verùm, quia difficile eſſet præſentes litteras ad quæque Chriſtiani orbis loca deferri, ac primo quoque tempore in omnium notitiam perferri, illas ad Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ de more publicari & affigi, ac earumdem litterarum exemplis etiam impreſsis, ac manu alicuius publici tabellionis ſubſcriptis, nec non ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eamdem prorſus indubitatam fidem vbique gentium & locorum haberi præcipimus, quæ præſentibus haberetur, ſi oſtenderentur, vel exhiberentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ permiſsionis, ſtatuti, ordinationis, mandati, præcepti, conceſsionis, indulti, declarationis, voluntatis, decreti, & inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo, pridie Idus Iulij, Pontificatus noſtri anno quinto.*

**Cæſ. Glorierius.**

*H. Cumyn.*

Anno à Natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo, Indictione decimatertia, die verò vigeſimanona menſis Iulij, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Pij diuina prouidentia Papæ Quinti, anno eius quinto, retroſcriptæ litteræ publicatæ & affixæ fuerunt ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, vt moris eſt, per nos Ioannem Andream Rogerium, & Philibertum Cappuis, Curſores.

*Scipio de Octauianis Magiſter Curſorum.*

CLE-

# CLEMENS PAPA VIII.

## AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Cvm ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quô nos Chriſtus Dominus ſacri ſui Corporis participes effecit, atque apud nos vſque ad conſummationem ſæculi permanere decreuit, maximum ſit omnium Sacramentorum, illudque in ſacra Miſſa conficiatur, ac pro peccatis totius populi Deo Patri offeratur: ſanè omnino conueniens eſt, vt qui omnes vnum ſumus in vno corpore, quod eſt Eccleſia, & de vno Corpore Chriſti participamus, vna & eadem celebrandi ratione, vniuſque officij & ritus obſeruatione in hoc ineffabili & tremendo ſacrificio vtamur. Quod cùm Romani Pontifices prædeceſſores noſtri ſemper optarint, atque in hoc diu multumque deſudarint, tum in primis fel. rec. Pius Papa V. Miſſale Romanum ex decreto ſacri Concilij Tridentini ad veterem & emendatiorem normam reſtitui, Romæque imprimi curauit. Qui etſi multis propoſitis pœnis ſeueriſſimè cauerit, ne quid illi vel adderetur, vel vlla ratione demeretur; tamen progreſſu temporis, ſiue Typographorum, ſiue aliorum temeritas & audacia effecit, vt multi in ea quæ hîc proximis annis excuſa ſunt Miſſalia errores irrepſerint, quibus vetuſtiſſima illa ſacrorum Bibliorum verſio, quæ etiam ante ſancti Hierónymi tempora celebris habita eſt in Eccleſia, & ex qua omnes ferè Miſſarum Introitus, & quæ dicuntur Gradualia, & Offertoria accepta ſunt, omnino ſublata eſt: Epiſtolarum & Euangeliorum textus, qui hucuſque in Miſſæ ſolemniis prælectus eſt, multis in locis perturbatus; ipſis Euangeliis diuerſa, ac prorſus inſolita præfixa initia: plurima denique paſſim pro arbitrio immutata ſint: cuius rei prætextus fuiſſe videtur, vt omnia ad præſcriptum ſacrorum Bibliorum Vulgatæ editionis reuocarentur, quaſi id alicui propria auctoritate, atque Apoſtolica Sede inconſulta facere licitum ſit. Quod nos animaduertentes, pro noſtra Paſtorali ſolicitudine, qua omnibus in rebus, ac præcipuè in ſacris Eccleſiæ ritibus, optimam, eamque veterem normam ſtudemus tueri & conſeruare, primùm prædicta Miſſalia impreſſa ſic deprauata prohiberi & abrogari, eorumque vſum in celebratione Miſſarum interdici iuſſimus, niſi ad præſcriptum exemplaris ſub ipſo Pio V. editi integrè in omnibus emendarentur: deinde mandauimus nonnullis Venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus in ſacris Litteris verſatis, & Eccleſiaſticæ antiquitatis peritis, vt curam Miſſale ad priſtinam & quàm maximè emendatam formam reſtituendi ſuſciperent: qui pro ſua erga nos fide, & in Romanam Eccleſiam pietate & ſtudio, adhibitis etiam aliis rerum Eccleſiaſticarum peritis & eruditis viris, & veteribus Miſſalibus, aliiſque præterea libris, qui ad eam rem opportuni videbantur, accuratè perquiſitis, & diligenter inſpectis, Miſſale Romanum ſuæ integritati reſtituere, ac ipſius Pij V. & eorum qui ab eo delecti fuerant, laborem & diligentiam confirmare & comprobare curarunt. Verùm in eo munere peragendo factum eſt, vt nonnulla ex diligenti librorum antiquorum collatione in meliorem formam redacta, & in regulis & rubricis aliqua vberiùs & clariùs expreſſa ſint, quæ tamen ex illorum principiis & fundamentis quaſi deducta, illorum ſenſum imitari potiùs, & ſupplere, quàm aliquid noui afferre videantur. Miſſale itaque quod idem Pius V. ediderat, ſic recognitum, in noſtra Typographia Vaticana quàm emendatiſſimè imprimi, & ad communem vtilitatem publicari iuſſimus. Vt autem illius vſus in omnibus Chriſtiani orbis partibus, perpetuis futuris temporibus conſeruetur, ipſum Miſſale in alma Vrbe noſtra in eadem Typographia tantùm, & non alibi imprimi poſſe decernimus: extra Vrbem verò iuxta exemplar in dicta Typographia nunc editum, & non aliter, hac lege imprimi poſſe permittimus, vt nimirum Typographis quibuſcumque illud imprimere volentibus, id facere liceat; requiſita tamen priùs, & in ſcriptis obtenta dilectorum filiorum Inquiſitorum hæreticæ prauitatis in iis locis in quibus fuerint, vbi verò non fuerint, Ordinariorum

locorum licentia; alioquin ſi abſque huiuſmodi licentia dictum Miſſale ſub quacumque forma de cetero ipſi imprimere, aut Bibliopolæ vendere præſumpſerint, Typographi & Bibliopolæ extra Statum noſtrum Eccleſiaſticum exiſtentes, excommunicationis latæ ſententiæ, à qua niſi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolui nequeant: in alma verò Vrbe, ac reliquo Statu Eccleſiaſtico commorantes, quingentorum ducatorum auri de Camera, ac amiſſionis librorum & typorum omnium Cameræ prædictæ applicandorum pœnas abſque alia declaratione irremiſſibiliter incurrant eo ipſo. Et nihilominùs eorumdem Miſſalium per eos de cetero abſque huiuſmodi licentia imprimendorum aut vendendorum vſum vbique locorum & gentium ſub eiſdem pœnis perpetuò interdicimus & prohibemus. Ipſi autem Inquiſitores, ſeu Ordinarij locorum, antequam huiuſmodi licentiam concedant, Miſſalia ab ipſis Typographis imprimenda, & poſtquam impreſſa fuerint, cum hoc Miſſali auctoritate noſtra recognito, & nunc impreſſo, diligentiſſimè conferant, nec in illis aliquid addi vel detrahi permittant, nec in præmiſſis prætextu incuriæ Typographorum, aut non factæ per Correctores vel alios ab ipſis forſitan deputandos diligentiæ, ſe aliquo modo excuſare, quodque in infraſcriptas pœnas non incurrerint, allegare valeant; & in ipſa licentia originali de collatione facta, & quòd omnino concordent, manu propria atteſtentur: cuius licentiæ copia initio vel in calce cuiuſque Miſſalis ſemper imprimatur. Quòd ſi ſecùs fecerint, Inquiſitores videlicet priuationis ſuorum officiorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, Antiſtites autem & ordinarij locorum ſuſpenſionis à diuinis, ac interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ; eorum verò Vicarij, priuationis ſimiliter officiorum & beneficiorum ſuorum, & inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, ac prætereà excommunicationis abſque alia declaratione, vt præfertur, pœnas incurrant eo ipſo. Ceterùm pauperum Eccleſiarum, Clericorum, & perſonarum Eccleſiaſticarum, ac Typographorum & Bibliopolarum quorumcumque indemnitatis ex benignitate Apoſtolica rationem habentes, eiſdem Miſſalia hactenus impreſſa penes ſe habentibus (iis dumtaxat exceptis quæ auctoritate noſtra, vt ſuprà dictum eſt, interdicta & abrogata fuerunt) vt ea retinere, & illis vti, eaque vendere reſpectiuè poſſint, ſimiliter permittimus & indulgemus. Non obſtantibus licentiis, indultis, & priuilegiis quibuſcumque Typographis hactenus per Nos, ſeu Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, Miſſale prædictum Pij Quinti imprimendi conceſſis, quæ per præſentes expreſsè reuocamus, & reuocata eſſe volumus; necnon conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, generalibus vel ſpecialibus, in contrarium præmiſſorum quomodocumque conceſſis, confirmatis & approbatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda eſſet, tenores huiuſmodi præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, vt præſentium tranſſumptis etiam impreſſis, vel manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris die VII. Iulij, M. DC. IIII. Pontificatus noſtri anno XIII.

*M. Veſtrius Barbianus.*

VRBA-

# VRBANVS
# PAPA VIII.
## AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

SI quid eſt in rebus humanis planè diuinum, quod nobis Superni ciues (ſi in eos inuidia caderet) inuidere poſſent, id certè eſt Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, cuius beneficio fit, vt homines quadam anticipatione poſſideant in terris cælum, dum ante oculos habent, & manibus contrectant ipſum cæli terræque Conditorem. Quò magis eſt mortalibus laborandum, vt hoc tantum priuilegium cultu atque honore debito tueantur, caueantque Angelos negligentiæ oſores, qui ſunt æmuli venerationis. Hinc factum eſt, vt huius ſacri myſterij celebrandi rationem, ac preces, quas Summi Pontifices prædeceſſores noſtri Pius V. & Clemens VIII. diligentiſſimè recognoſci atque inſtaurari curauerunt; Nos quoque eorum veſtigijs inhærentes, iterùm examinari, & ſi quid fortè in ijs aſſiduus (quod plerumque contingit) temporis curſus corruperit, reſtitui iuſſerimus. Quamobrem ſicuti nuper ad diuini Officij nitorem reformari Breuiarium, ita demum huius exemplo ad diuini Sacrificij ornamentum corrigi Miſſale mandauimus. Et quoniam haſce quaſi alas, quas Sacerdos inſtar Cherubim priſci myſtici Tabernaculi quotidie pandit ad verum mundi Propitiatorium, decet eſſe planè geminas, atque vniformes, huius rei curam commiſimus viris eruditis, ac pijs, quorum diligentia ita opus perfectum eſt, vt nihil deſiderari amplius poſſit. Nam rubricæ, quæ ſenſim ab vſu rituque vetere degenerauerant, in priſtinum reſtitutæ; quæ verò non ita captui legentium accommodatæ videbantur, clariùs explicatæ: prætereà collata omnia cum codice Sacræ Scripturæ Vulgatæ editionis, quæque diuerſa irrepſerant, ad eius vnius exemplum normamque correcta ſunt. Verumtamen parum prodeſſe conſueuit ſolertia Correctorum, niſi ad eam par Typographorum accedat induſtria; propterea dilecto filio Andreæ Brogiotto, Typographiæ noſtræ Apoſtolicæ Præfecto, mandauimus, vt Miſſale ita expurgatum in lucem emittat: ſed quæ in poſterum extra Vrbem imprimi contigerit, ea non aliter, quàm ad exemplar in dicta Typographia nunc editum imprimi poſſe permittimus, requiſita tamen priùs, & in ſcriptis obtenta dilectorum filiorum Inquiſitorum hæreticæ prauitatis in ijs locis in quibus fuerint, vbi verò non fuerint, Ordinariorum locorum facultate; alioquin ſi abſque ea dictum Miſſale ipſi poſthac imprimere, aut Bibliopolæ vendere præſumpſerint, Typographi, & Bibliopolæ extra Statum noſtrum Eccleſiaſticum exiſtentes excommunicationis latæ ſententiæ, à qua niſi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolui nequeant; in alma verò Vrbe & reliquo Statu Eccleſiaſtico commorantes, quingentorum ducatorum

auri de Camera, ac amiſſionis librorum & typorum omnium Cameræ prædictæ applicandorum pœnas abſque alia declaratione irremiſſibiliter incurrant eo ipſo: & nihilominùs eorumdem Miſſalium per eos de cetero abſque huiuſmodi licentia imprimendorum, aut vendendorum vſum vbique locorum & gentium ſub eiſdem pœnis interdicimus, & prohibemus. Ipſi autem Inquiſitores, ſeu Ordinarij locorum, antequam huiuſmodi licentiam & facultatem concedant, Miſſalia ab ipſis Typographis imprimenda, & poſtquam impreſſa fuerint, cum hoc Miſſali auctoritate noſtra recognito diligentiſſimè conferant, nec in illis aliquid addi vel minui permittant. In ipſa verò licentia originali obtinenda, de collatione facta, & quòd omnino concordent, manu propria atteſtentur: cuius licentiæ copia initio, vel in fine cuiuſque Miſſalis ſemper imprimatur. Quòd ſi ſecùs fecerint, Inquiſitores priuationis ſuorum officiorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda; Ordinarij autem locorum ſuſpenſionis à diuinis, ac interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, eorum verò Vicarij priuationis ſimiliter officiorum, & beneficiorum ſuorum, & inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, ac inſuper excommunicationis abſque alia declaratione, pœnas incurrant eo ipſo. Ceterùm pauperum Eccleſiarum, Clericorum, & perſonarum Eccleſiaſticarum, Typographorum & Bibliopolarum quorumcumque indemnitatis ex benignitate Apoſtolica rationem habentes, eiſdem Miſſalia hactenus impreſſa penes ſe habentibus, vt ea retinere, & illis vti, eaque vendere reſpectiuè poſſint, ſimiliter permittimus, & indulgemus. Non obſtantibus licentijs, indultis, & priuilegijs quibuſcumque Typographis per Nos ſeu Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros Miſſale imprimendi conceſſis, quæ per præſentes expreſsè reuocamus, & reuocata eſſe volumus, nec non conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, in contrarium præmiſſorum quomodocumque conceſſis, approbatis, & confirmatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda eſſet, tenores huiuſmodi præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus. Volumus autem vt præſentium tranſſumptis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die ſecunda Septembris M. DC. XXXIV. Pontificatus noſtri anno duodecimo.

*M. A. Maraldus.*

I. Sauenier.

# PIVS PAPA V.

## AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

AD hoc Nos Deus vnxit oleo lætitiæ, ac hereditatis ſuæ participes effecit, vt ad ipſius Sacerdotium tamquam Aaron vocati, non ſolùm ea quæ ad diuinum cultum pertinent, ſalubriter diſponamus: verùm etiam ea, quæ aliquando per Nos ſtatuta fuerunt, ſalubriùs moderemur, ac aliàs deſuper diſponamus, prout rerum & perſonarum qualitate penſata, conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Sanè licet aliàs Nos, poſtquam cupientes vt vnus & idem modus in pſallendo in Dei Eccleſia haberetur, Breuiarium, cuius formam ab omnibus obſeruari debere voluimus, imprimi mandaueramus, deinde verò nouum Miſſale, vt illud cum Breuiario concordaret, publicari voluerimus: cùm tamen, vt primùm dilectus filius Magiſter Ludouicus de Torres Malacitanus, & Cameræ Apoſtolicæ Clericus, Romam ex Hiſpaniarum Regnis, ad quæ de mandato noſtro pro certis grauibus negotijs ad Rempublicam Chriſtianam ſpectantibus ſe contulerat, redijt, Nos ad plenum certiores reddiderit de aliquibus difficultatibus, quæ in illis partibus ex Miſſali huiuſmodi oriebantur, prout ſibi à quibuſdam grauiſſimis viris ad hunc effectum à chariſſimo in Chriſto filio noſtro Philippo Hiſpaniarum Rege Catholico deputatis relatum fuit: Nos eius dictis indubiam adhibentes fidem, Motu proprio, non ad alicuius Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hæc in Miſſali noſtro quoad Hiſpaniarum Regna duximus reformanda. Quorum primum eſt, vt quoad cantum benedictionis Cerei Paſchalis, Præfationem, Orationis Dominicæ, intonationes Cantici Angelorum, Symboli Apoſtolorum, & Flectamus genua, Humiliate capita veſtra Deo, Ite Miſſa eſt, Benedicamus Domino, & ad reliqua quorum cantus formam in nouo Miſſali proponimus, illa iuxta Eccleſiæ Toletanæ formam in Hiſpaniarum Regnis ab antiquiſſimo tempore receptam decantentur: in Canone quoque Miſſæ, poſt Romani Pontificis & Prælati nomina, Regis mentio, prout hactenus in dictis partibus ſeruari ſolitum eſt, fieri debere: ſimiliter in Orationibus diei Veneris Crucis, & benedictione Cerei Paſchalis, loco nominis pro tempore exiſtentis Romani Imperatoris, quod inibi nominari volumus, Hiſpaniarum Regis memoria iuxta antiquum earum partium ſtilum nominetur. Inſuper quoque in mandato, quod Feria quinta in Cœna Domini legitur de ſero, poſſit decantari Euangelium illius diei, prout hactenus conſuetum eſt. Quodque in Miſſalibus in partibus illis imprimendis poſſint apponi Officia propria Miſſarum Sanctorum illius prouinciæ, prout fuerunt appoſita in Breuiario. In confeſſione quoque per Sacerdotem dicenda nominari poſſit nomen Patroni Ordinis vel Eccleſiæ. In Miſſis quoque ſolemnibus Euangelium in aliquo pulpito, prout moris eſt in partibus illis, abſque eo quòd illius liber teneatur à Subdiacono, cantari poſſit. Thuriferarius quoque, non autem Diaconus,

Chorum thurificet. Vnus ex Acolythis quoque, non autem Subdiaconus, exiſtentibus in Choro pacem ferat. Inſuper, ne Sacerdos quando ad Miſſam celebrandam exit, Calicem manu, & Corporalia in burſa ferat: in principio quoque Miſſæ vinum & aquam in calice ponat. Sacerdos quoque cùm manus eleuat extenſas, ambas ad altare verſus, non autem ad inuicem oppoſitas teneat. Quodque tempore Communionis manu Sacramentum de patena aſſumat, non autem cum lingua. Prætereà Orationes, quas Sacerdotes dicere tenentur dum ſe induunt, & exuunt finita Miſſa, non iuxta huius Miſſalis præceptum, ſed prout hactenus in illis partibus recitare conſueuerunt, recitare poſſint, per præſentes volumus, ſtatuimus, & declaramus. Diſtrictiùs inhibentes quibuſuis etiam locorum Ordinarijs, & alijs ad quos ſpectat, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis, alijſque arbitrio noſtro moderandis, infligendis, & imponendis pœnis, ne ſuper præmiſſis quouis modo ſe intromittere aut illos moleſtare audeant vel præſumant. Decernentes quoque præſentes litteras nullo vmquam tempore ſub quibuſuis ſimilium vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, & alijs contrarijs diſpoſitionibus comprehendi nullatenus poſſe; ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas eſſe etiam ſub quacumque Data, ſicque ab omnibus cenſeri: & ita per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac ſanctæ Eccleſiæ Romanæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi facultate, iudicare debere; irritum quoque & inane quidquid ſecùs ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus litteris noſtris forſan in Miſſali per nos edito impreſſis, ac omnibus & ſingulis in eo contentis prohibitionibus, clauſulis, derogationibus, & decretis, quas nos ad effectum præſentium in dictis partibus locum ſibi vendicare non poſſe, nec debere decernimus, & quibuſuis alijs Apoſtolicis, nec non in Prouincialibus & Synodalibus Concilijs editis ſpecialibus vel generalibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac quibuſuis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrarijs quibuſcumque. Vt autem præſentes litteræ omnibus innoteſcant, & in ijs contenta quæcumque ab omnibus obſeruentur, volumus, & diſtrictè præcipiendo omnibus & ſingulis librorum impreſſoribus in partibus illis conſiſtentibus mandamus, vt illas in cuiuſlibet Miſſalis principio imprimant, & imprimi curent; aliàs illis non appoſitis & impreſſis, præſentes in partibus illis nemini ſuffragentur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die xvij. Decembris, M. D. LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

*F. de Torres.* *A. Calorius.*

*Concordat cum originali.*

# GREGORIVS PAPA XIII.

## AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

PASTORALIS *officij cura nos admonet, vt ea quæ magis conducere cenſemus, pro locorum & perſonarum qualitate concedamus. Sanè licet aliàs poſt Miſſalis & Breuiarij ex decreto ſacri Concilij Tridentini editionem fel. rec. Pius V. prædeceſſor noſter dilecti nobis filij Ludouici de Torres Malacitani, & Cameræ Apoſtolicæ Clerici, qui tunc ex Hiſpaniarum Regnis, ad quæ ab eodem prædeceſſore pro certis grauibus negotijs ad Rempublicam Chriſtianam ſpectantibus miſſus fuerat, Romam redierat, relatione audita, multas ſcilicet, vt ipſe Ludouicus à viris grauiſſimis ad hunc effectum à chariſſimo filio noſtro Philippo Hiſpaniarum Rege Catholico deputatis acceperat, ex huiuſmodi editione ſubortas fuiſſe in illis partibus difficultates, ad eas tollendas nonnulla quoad Hiſpaniarum Regna prædicta duxerit reformanda & concedenda; nihilominùs quia, vt idem Ludouicus nobis retulit, re ipſa compertum eſt, adhuc aliqua ad Miſſalis & Breuiarij impreſſionem, quæ in illa Prouincia magnis impenſis curatur, deſiderari, Nos eius dictis certam adhibentes fidem, ad omnem ſcrupulum dimouendum, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine hæc quæ ſequuntur, declaranda duximus, & concedenda. In primis illud nobis declarandum ſe offert, ex quo magna oriri poterat confuſio. Cùm enim prædeceſſor prædictus indiſtinctè conceſſerit, vt Eccleſiæ Hiſpaniæ poſſint celebrare Officia propria Sanctorum illius Prouinciæ, illiq́ plures ſint numero, ex hoc ſequebatur, vt Officium maioris partis Feriarum anni omitteretur, & ordo Breuiarij ferè ſubuerteretur. Nos huic incommodo occurrere volentes, & prædeceſſoris prædicti mentem ſano modo interpretantes, declaramus, vnamquamque Hiſpaniæ Eccleſiam eorum tantùm Sanctorum, qui in Breuiario non ſunt deſcripti, Officia propria celebrare poſſe, qui vel illius Diœceſis ſunt naturales, vel eius Eccleſiæ ſeu Diœceſis ſunt Patroni, vel eorum corpora ſeu notabiles Reliquiæ in ea Eccleſia ſeu Diœceſi requieſcunt. De alijs verò Sanctis, etiam ſi ſint naturales, vel Patroni alterius Diœceſis, etiam ſi illorum corpora, vel notabiles Reliquiæ in aliqua Eccleſia alterius Diœceſis requieſcant, non celebretur Officium proprium, ſed ſeruetur ordo Breuiarij Romani. Et quo die celebrabitur feſtiuitas Patroni vnius Diœceſis, Religiones omnes teneantur eodem die in ſuis Eccleſiis, intra limites illius Diœceſis exiſtentibus, eamdem feſtiuitatem celebrare; & in hoc cum Eccleſia matrice ſe conforment. Item volumus, quòd feſtiuitates ſequentes ſint in tota Hiſpania generales, ita quòd omnes Eccleſiæ, & Religiones exiſtentes in illa Prouincia recitent in illis, & celebrent propria illorum Officia, quæ ſunt feſtiuitas Expectationis Dominæ noſtræ, quæ celebratur die xviij. menſis Decembris. Et quoniam dicta die iuxta Breuiarium Romanum Feria habet Antiphonas proprias ad Laudes, ne Antiphonæ prædictæ omittantur, & vt feſtiuæ ſingulis annis in illa Prouincia decantentur; mandamus quòd dictæ Antiphonæ feriales, quæ in die in qua Officium Expectationis celebratur, dicendæ eſſent, reponantur die xvj. Decembris, omiſſa ea quæ ad Canticum dicitur, cuius loco dicatur ea quæ ad Canticum ponitur in Pſalterio; & idem fiat de Antiphonis in die S. Thomæ occurrentibus reponendis in Sabbato, quando feſtum Expectationis huiuſmodi in Sabbato venerit, vt ſcilicet Antiphonæ in die ſancti Thomæ occurrentes, tunc reponantur xvj. Decembris, dempta ea quæ dicitur ad Canticum, vt ſuprà. Item feſtiuitas Triumphi S. Crucis, quæ celebratur die xvj. Iulij. Item feſtiuitas S. Ildephonſi, Archiepiſcopi Toletani Confeſſoris. Item feſtiuitas S. Iſidori Archiepiſcopi Hiſpalenſis, pro quo celebretur Officium Doctoris, & recitetur Credo in celebratione Miſſæ. Inſuper celebretur feſtiuitas S. Annæ matris B. Mariæ Virginis in omnibus locis, vbi fuerit Eccleſia vel Capella dictæ Sanctæ ad præſens, vel vbi ædificabitur Eccleſia in futurum. Item concedimus, quòd quælibet Eccleſia, & Monaſterium Hiſpaniæ habens aliquas Reliquias inſignes, puta caput, brachium, vel crus alicuius Sancti etiam alienigenæ non exiſtentis in Breuiario, vel de quo in dicto Breuiario ſit tantùm commemoratio, poſſit illius feſtiuitatem celebrare, & Officium Duplex facere, & de alio Sancto eodem die occurrenti, ſi fuerit Simplex, fiat commemoratio: ſi verò fuerit Duplex, vel Semiduplex, transferatur in primam diem ſimili Feſto non impeditam. Et quoniam in Regno Caſtellæ in pluribus Eccleſijs celebratur die xxx. Decembris Tranſlatio S. Iacobi Apoſtoli Hiſpaniarum Patroni præcipuum Duplex, & in Breuiario ponitur die xxix. feſtiuitas S. Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis & Mar-*

tyris

*tyris Semiduplex, & in anno quo feſtiuitas S. Thomæ occurrit in Dominica iuxta regulam Breuiarij, transfertur in diem ſequentem, quo die in eo Regno celebratur ſupradicta feſtiuitas S. Iacobi, poſteaq́; per plures dies non venit aliqua dies vacua, in qua poßit celebrari feſtiuitas prædicti S. Thomæ, volumus, vt in eo anno feſtum ipſum S. Thomæ transferatur ad primam diem Duplici non impeditam, quæ erit Vigilia Epiphaniæ, & tunc de Vigilia fiat tantùm commemoratio. Ad Veſperas autem Epiphaniæ nulla fiat commemoratio de feſto ſancti Thomæ prædicti. Cùm verò in Eccleſiis & Regionibus Hiſpaniæ vigeat conſuetudo, quòd diebus Paſchalibus, & feſtiuitatibus maioribus celebret Miſſam Conuentualem Antiſtes, vel alia perſona principalis, & regula Miſſalis ordinet, quòd omnibus diebus Dominicis infra annum, Sacerdos qui celebrauerit Miſſam Conuentualem, exeat ante celebrationem Miſſæ cum pluuiali, vel cappa, & cum miniſtris, ad incipiendum in Altari maiori Antiphonam, Aſperges, & aſpergendum aquam benedictam populo: concedimus quòd Antiſtes, ſeu alia perſona principalis celebrans Miſſam Conuentualem, præmiſſa facere non teneatur, ſed illa facere poßit quilibet alius ſimplex Sacerdos eius loco, & quòd talis Sacerdos non deferat pluuiale, ſed albam & ſtolam, vel ſuperpellicium & ſtolam, nec procedat aſſociatus cum Miniſtris, ſed ſolùm cum Acolythis. Hæc autem omnia & ſingula Breuiarium & Miſſale concernentia, per fel. rec Pium V. & Nos conceſſa pro Hiſpaniarum prouincijs, volumus vt intelligantur etiam conceſſa Eccleſiis Inſularum, & terræ firmæ Indiarum dicto Regi Catholico ſubiectarum. Et inſuper ſtatuimus, quòd Miſſæ Sanctorum, quæ iuxta Motum proprium dicti Pij. V. in Miſſali Romano in Hiſpanijs imprimendo poſſunt imprimi, non in corpore, ſed in fine dicti Miſſalis imprimantur. Et ita per præſentes Apoſtolica auctoritate declaramus, ſtatuimus, concedimus, & indulgemus: Non obſtantibus præmißis, & litteris prædeceſſoris prædicti in Breuiario & Miſſali, ac regulis ſub Rubricis generalibus cum ipſiſmet Breuiariis & Miſſalibus impreßis: nec non omnibus & ſingulis in eis contentis prohibitionibus, clauſulis, derogationibus, & decretis. Quæ omnia Nos ad effectum præſentium in dictis Prouinciis locum ſibi non vendicare decernimus, ac alijs quæ dictus prædeceſſor in ſuis litteris obſtare non voluit, ceteriſq́; contrarijs quibuſcumque. Vt autem præſentes litteræ omnibus innoteſcant, volumus, & directè præcipiendo omnibus & ſingulis librorum impreſſoribus in partibus illis conſiſtentibus mandamus, vt illas in cuiuſlibet Miſſalis & Breuiarij principio imprimant, & imprimi curent; aliàs illis non appoſitis & impreßis præſentes nemini ſuffragentur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die trigeſimo Decembris, M. D. LXXIII. Pontificatus noſtri anno primo.*

*Ceſ. Glorierius.*

Poſteà ex eiuſdem Gregorij XIII. litteris datis Kalendis Maij, anno Domini M. D. LXXXIIII. relata eſt in Kalendarium Romanum S. Annæ feſtiuitas cum Officio Duplici.

Item ex Sixti V. D. N. litteris datis die xij. Februarij, anno Domini M. D. LXXXVI. facta eſt ſancti Hermenegildi Martyris feſtiuitas cum Officio Duplici toti Hiſpaniæ communis.

# VRBANVS PAPA VIII.

## AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

CATHOLICÆ Religionis zelus, & ſinceræ fidei & deuotionis affectus, quem dilectus filius Balthaſar Moretus, natus quondam Ioannis Moreti iunioris, ac nepos & heres quondam Balthaſaris Moreti, Typographus Antuerpienſis, ad Nos & Sedem Apoſtolicam gerere comprobatur, ac ſingularis diligentia & induſtria, quam eius Maiores in imprimendo præſtiterunt, eumdemque Balthaſarem præſtaturum ſperamus, Nos inducunt, vt illi reddamur ad gratiam liberales. Nos igitur eumdem Balthaſarem ſpecialis fauore gratiæ proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris & pœnis, à iure vel ab homine quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes; ſupplicationibus Nobis ſuper hoc pro parte dicti Balthaſaris humiliter porrectis inclinati, eidem Balthaſari vt Miſſalia, Breuiaria & Diurna, nec non Officium paruum beatæ Mariæ iuxta ritum & præſcriptum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac noſtrarum in ſimili forma Breuis ſub die vigeſimaquinta Ianuarij anni Domini milleſimi ſexcenteſimi trigeſimiprimi deſuper expeditarum litterarum continentiam & tenorem; nec non ſacra Biblia Vulgatæ editionis iuxta exemplar in Typographia Vaticana impreſſum, emendatiſſimè tamen & ſumma cum fide, nullaque facta additione aut imminutione, imprimere, illaque ſic impreſſa vendere ac venalia exponere, liberè ac licitè poſſit & valeat, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus & indulgemus, plenamque, liberam, & omnimodam facultatem ac licentiam deſuper impartimur. Mandantes propterea Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis, ac dilectis filijs noſtris, & eiuſdem Sedis Nuntijs, & alijs quibuſcumque, vt Balthaſari prædicto in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittant eum deſuper à quoquam quomodolibet indebitè moleſtari: Contradictores per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo; inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Non obſtante fel. rec. Pij Papæ V. prædeceſſoris noſtri, ſub Dato, Septimo Idus Iulij, Pontificatus ſui anno tertio, qua prohibetur, ne Breuiarium alibi quàm Romæ, niſi de expreſſa Sedis prædictæ licentia, imprimatur, alijſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die XIV. Auguſti, M. DC. XLI. Pontificatus noſtri anno decimonono.

*M. A. Maraldus.*

LICEN-

# LICENTIA ET APPROBATIO ORDINARII.

FR. AMBROSIVS CAPELLO, *Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Antuerpienſis, omnibus has viſuris ſalutem in Domino. Cùm à Papa* VRBANO VIII. *decretum ſit, ne quis Typographus* Miſſale Romanum, PII V. Pont. Max. iuſſu editum, CLEMENTIS VIII. primùm, nunc denuò ipſius VRBANI PP. VIII. auctoritate recognitum, *imprimat, vel in lucem edat, ſine licentia, eaq́ue in ſcriptis obtenta ab Ordinario loci, ac niſi priùs ab eodem cum exemplari typis Vaticanis anno* M. DC. XXXV. *excuſo concordare fuerit repertum: Hinc eſt, quòd Nos dederimus in ſcriptis licentiam illud imprimendi dilecto nobis* Balthaſari Moreto, Ioannis iunioris filio, *Typographo Antuerpienſi, cuius proauo* Chriſtophoro Plantino PIVS V. *auo* Ioanni Moreto CLEMENS VIII. *patruo* Balthaſari *& patri* Ioanni Moretis, PAVLVS V. & VRBANVS VIII. *impreſſionem* Miſſalium, Breuiariorum, Diurnalium, *recognitorum ac reformatorum, ſecundùm ritum S. R. E. approbatorum, ſpeciali priuilegio conceſſerunt: cui ipſi idem* VRBANVS VIII. *eamdem licentiam & facultatem dedit. Poſtquam autem* Miſſale *in folio, vt vocant, prædicti* Moreti *opera ac typis abſolutum intelleximus, & per Ven.* DD. Ioannem de Man, *&* Martinum van Boſt, *Eccleſiæ noſtræ Cathedralis Presbyteros ( quibus id ſpecialiter commiſimus ) fuimus legitimè informati, quòd illud cum ſuo Originali anno* M. DC. XXXV. *in Typographia Vaticana excuſo, diligenti facta collatione, in omnibus conueniat (licet Miſſæ de* S. MARTINA *virgine & martyre,* S. FRANCISCA *vidua Romana,* S. HERMENEGILDO *Rege Hiſpaniæ martyre,* & S. TERESIA *virgine, à Papa* VRBANO VIII. & *de* S. IGNATIO *Confeſſore, &* S. PHILIPPO *Confeſſore, &* S. CAROLO BORROMÆO *Confeßore, à Papa* INNOCENTIO X. & *recèns de* S. BERNARDINO SENENSI *Confeſſore,* S. FRANCISCO XAVERIO *Confeſſore,* S. PETRO NOLASCO *Confeſſore, de præcepto; & de* S. THOMA DE VILLANOVA *Confeſſore, ad libitum, à* S.D.N. ALEXANDRO VII. *ordinatæ accedant ) dictum* Miſſale *in folio excuſum approbauimus, euulgandiq́ue licentiam dedimus; prout per præſentes approbamus, ac licentiam damus. In quorum fidem præſentibus propria manu ſubſcripſimus. Datum Antuerpiæ die* III. *Iulij.* M. DC. LXV.

Fr. Ambroſius Epiſcopus Antuerpienſis.

Locus † ſigilli.

*De mandato Perilluſtris & Reuerendißimi Domini præfati.*

Daniel vanden Brul Secretarius.

SVMMA-

# SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS IV. Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac Potentiſſimus Belgarum & Burgundionum Princeps, Diplomatibus ſuis ſanxit, nequis præter Balthaſaris Moreti, Ioannis Iunioris fil. voluntatem, Miſſalia, Breuiaria, Diurna, Officia B. Mariæ, aut reliqua Officia ad vſum Eccleſiæ Catholicæ Romanæ edita, prout nunc aucta ſunt & emendata, vel in poſterum augenda vel emendanda, vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impreſſa in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaliáve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum, & alia graui pœna multabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ IX. Iulij, M. DC. XLI.

*Signat.*

I. Le Comte.

*Et in Concilio Brabantiæ,*

Steenhuyſe.

EX

# EX REGISTRO DECRETORVM

## SACRÆ RITVVM CONGREGATIONIS.

SACRA *Rituum Congregatio, inhærendo Decretis aliàs factis, prohibet omnino Miſſas à Sacra Rituum Congregatione non approbatas, & ſignanter Miſſas nuncupatas ſancti Gregorij pro Viuis & Defunctis, Miſsas quindecim Auxiliatorum, Miſſam de Patre Æterno, & quaſcumque alias, vt ſuprà, non approbatas; exceptis tamen Miſsis Roſarij, & de Monte Carmelo, quæ ſunt permiſſæ Regularibus quibuſdam, & iiſdem dumtaxat, nec poſſunt ab alijs celebrari, etiam in ipſorum Regularium Eccleſiis.*

*Nemo audeat vti Pileolo in celebratione Miſſarum ſine expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ, non obſtante quacumque contraria conſuetudine.*

*Item prohibetur vſus Rochetti, exceptis tamen quibus de iure competit, & præter hos ſtatuitur, & declaratur, nemini licere inſeruire, aut aſsiſtere in celebratione Miſſarum diuinorum Officiorum cum Rochetto, neque cum Cotta habente manicas anguſtas ad inſtar Rochetti: & idem ſeruandum eſt in Concionibus.*

*Paramenta non debent ſumi de Altari pro celebratione Miſſarum, cùm id competat tantùm Epiſcopis, ſiue ſolemniter, ſiue priuatim celebrent: inferioribus verò habentibus vſum Pontificalium, non niſi quando in Pontificalibus celebrant.*

*Demum renouando Decreta aliàs facta, mandat Sacra Congregatio in omnibus & per omnia ſeruari Rubricas Miſſalis Romani, non obſtante quocumque prætextu, & contraria conſuetudine, quam abuſum eſſe declarat.*

*Et facta relatione horum Decretorum S. D. N.* VRBANO VIII. *Sanctitas ſua annuit, & ab omnibus vbique ſeruari, & in Miſsali Romano nouiter imprimendo apponi mandauit.*

Iulius Roſpiglioſius Secret.

# DE ANNO ET EIVS PARTIBVS.

ANNVS menſes habet duodecim, hebdomadas duas & quinquaginta, & diem vnum; dies verò trecentos ſexaginta quinque, & ferè ſex horas: tanto enim temporis interuallo Sol Zodia cum perluſtrat. Quater autem ſex horæ ſingulis quaternis annis diem conſtituunt: hinc annus ille intercalaris, Biſſextus, vel Biſſextilis dicitur.

## DE ANNI CORRECTIONE, EIVSQVE NECESSITATE, AC KALENDARIO GREGORIANO.

QVod dictum eſt, Annum continere trecentos & ſexaginta quinque dies, & ferè ſex horas, intelligendum eſt, ſex horas non eſſe integras, cùm ad earum complementum aliqua minuta deficiant.

Ex quorum minutorum neglectu progreſſum eſt, ac ſi annus vltra dies 365. contineret integras ſex horas; & factum eſt, vt minuta, quæ vltra debitam quantitatem annis ſingulis tribuebantur, tractu temporis ita excreuerint, vt inuicem iuncta conſtituerint dies decem, qui cauſam dederunt, vt Æquinoctium vernum ſedem ſuam mutauerit.

Cui malo occurrens Gregorius XIII. non ſolùm Æquinoctium vernum reſtituit in priſtinam ſedem, à qua iam à Concilio Nicæno, decem circiter diebus in anno correctionis 1582. præcedendo receſſerat, quod à Concilio ad xij. Kal. Aprilis fuerat conſtitutum; & xiiij. Lunam Paſchalem ſuo in loco repoſuit; ſed viam quoque tradidit, & rationem, qua cauetur, vt in poſterum & Æquinoctium vernum, & xiiij. Luna Paſchalis à proprijs ſedibus numquam remouerentur.

Vt enim Æquinoctium vernum ad xij. Kal. Aprilis reſtitueretur, ſtatuit, vt dicti decem dies in menſe Octobris ipſius anni 1582. eximerentur, vt poſt quartam diem Octobris S. Franciſco ſacram, ſequens dies non eſſet quinta, ſed decima quinta Octobris. Et ita error, qui in præteritum tot annorum circulis irrepſerat, in momento temporis fuit correctus.

Vt autem in poſterum idem error vitaretur, ne à xij. Kal. Aprilis Æquinoctium vernum recederet, ſtatuit idem Gregorius, Biſſextum quarto quoque anno (vti mos eſt) continuari debere, præterquam in centeſimis annis; qui quamuis Biſſextiles anteà ſemper fuerint, qualem etiam eſſe voluit annum 1600. anno correctionis proximum; poſt eum tamen, qui deinceps conſequentur, centeſimi non omnes Biſſextiles eſſent, ſed in quadringentis quibuſque annis primi quique tres centeſimi ſine Biſſexto tranſigerentur; quartus verò quiſque centeſimus eſſet Biſſextilis; ita vt annus 1700 1800. 1900. Biſſextiles non ſint, anno verò 2000. more conſueto dies Biſſextus intercaletur, Februario dies 29. continente; idemque ordo intermittendi intercalandique Biſſextum diem in quadringentis quibuſque annis perpetuò conſeruaretur.

## QVATVOR TEMPORA.

QVatuor Tempora celebrantur quarta & ſexta Feria, ac Sabbato poſt tertiam Dominicam Aduentus, poſt primam Dominicam Quadrageſimæ, poſt Dominicam Pentecoſtes, poſt Feſtum Exaltationis ſanctæ Crucis.

## NVPTIÆ QVANDO CELEBRARI NON POSSINT, IVXTA DECRETVM CONCILII TRIDENTINI.

A Dominica prima Aduentus vſque in diem Epiphaniæ, & à Feria quarta Cinerum vſque in Octauam Paſchatis incluſiuè, ſancta Synodus ſolemnitates nuptiarum prohibet: in alijs verò temporibus nuptias ſolemniter celebrari permittit.

## DE CYCLO DECENNOVENNALI AVREI NVMERI.

CYCLVS decennouennalis Aurei numeri eſt reuolutio numeri 19. annorum ab 1. vſque ad 19. qua reuolutione peracta, iterùm ad vnitatem reditur. Verbi gratia, Anno 1577. numerus cycli decennouennalis, qui dicitur Aureus, eſt 1. anno ſequenti 1578. eſt 2. & ita deinceps in ſequentibus annis, vno ſemper ampliùs, vſque ad 19. qui Aureus numerus cadet in annum 1595. poſt quem iterùm ad vnitatem redeundum eſt; ita vt anno 1596. Aureus numerus ſit rurſus 1. & anno 1597. ſit 2. &c.

Igitur vt Aureus numerus quolibet anno propoſito inueniatur, compoſita eſt ſequens tabella Aureorum numerorum, cuius vſus incipit ab anno correctionis 1582. incluſiuè, duratque in perpetuum. Ex ea enim Aureus numerus cuiuſlibet anni poſt annum 1582. reperietur hoc modo.

| | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 6. | 7. | 8. | 9. | 10. | 11. | 12. | 13. | 14. | |
| 15. | 16. | 17. | 18. | 19. | 1. | 2. | 3. | 4. | 5. |

Anno 1582. tribuatur primus numerus tabellæ, qui eſt 6. ſecundus autem, qui eſt 7. ſequenti anno 1583. & ita deinceps in infinitum, donec ad annum, cuius Aureum numerum quæris, perueniatur, redeundo ad principium tabellæ, quotieſcumque eam percurreris. Nam numerus, in quem annus propoſitus cadit, dabit Aureum numerum quæſitum.

# DE EPACTIS, ET NOVILVNIIS.

Epacta nihil aliud eſt, quàm numerus dierum, quibus annus Solaris communis dierum 365. annum communem Lunarem dierum 354. ſuperat: ita vt Epacta primi anni ſit 11. cùm hoc numero annus Solaris communis Lunarem annum communem excedat; atque adeò ſequenti anno Nouilunia contingant 11. diebus priùs, quàm anno primo. Ex quo fit, Epactam ſecundi anni eſſe 22. cùm eo anno rurſum annus Solaris Lunarem annum ſuperet 11. diebus, qui additi ad 11. dies primi anni, efficiunt 22. ac proinde, finito hoc anno, Nouilunia contingere 22. diebus priùs, quàm primo anno: Epactam autem tertij anni eſſe 3. quia ſi rurſus 11. dies ad 22. adiiciantur, efficietur numerus 33 à quo ſi reijciantur 30. dies, qui vnam Lunationem Emboliſmalem conſtituunt, relinquentur 3. atque ita deinceps. Progrediuntur enim Epactæ omnes per continuum augmentum 11. dierum, abiectis tamen 30. quando reijci poſſunt. Solùm quando peruentum erit ad vltimam Epactam Aureo numero 19. reſpondentem, quæ eſt 29. adduntur 12. vt abiectis 30. ex compoſito numero 41. habeatur rurſus Epacta 11. vt in principio. Quod ideò fit, vt vltima Lunatio Emboliſmica, currente Aureo numero 19. ſit tantùm 29. dierum. Si enim 30. dies contineret, vt aliæ ſex Lunationes Emboliſmicæ, non redirent Nouilunia poſt 19. annos Solares ad eoſdem dies, ſed verſus calcem menſium prolaberentur, contingerentque vno die tardiùs quàm ante 19. annos. De qua re plura inuenies in libro nouæ rationis reſtituendi Kalendarij Romani. Sunt autem nouemdecim Epactæ, quot & Aurei numeri; reſpondebantque ipſis Aureis numeris ante Kalendarij correctionem eo modo, quo in hac tabella diſpoſitæ ſunt.

*Tabella Epactarum reſpondentium Aureis numeris ante Kalendarij correctionem.*

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Aurei numeri. | 1. | 2 | 3. | 4. | 5. | 6. | 7. |
| Epactæ. | xj. | xxij. | iij. | xiiij | xxv. | vj. | xvij. |
| | 8. | 9. | 10. | 11. | 12. | 13. | |
| | xxviij. | ix. | xx. | j. | xij. | xxiij. | |
| | 14. | 15. | 16. | 17. | 18. | 19. | |
| | iiij. | xv. | xxvj. | vij. | xviij. | xxix. | |

Quia verò cyclus decennouennalis Aurei numeri imperfectus eſt, cùm Nouilunia poſt 19. annos Solares non præciſè ad eadem loca redeant, vt dictum eſt, imperfectus etiam erit hic cyclus 19. Epactarum. Quamobrem ita emendatus eſt, vt in poſterum loco Aurei numeri, & dictarum 19. Epactarum, vtamur 30. numeris Epactalibus ab 1. vſque ad 30. ordine progredientibus, quamuis vltima Epacta, ſiue quæ ordine eſt trigeſima, notata numero non ſit, ſed ſigno hoc * propterea quòd nulla Epacta eſſe poſſit 30. Varijs autem temporibus ex his 30. Epactis reſpondent decem & nouem Aureis numeris variæ decem & nouem Epactæ, prout Solaris annus ac Lunaris æquatio expoſcit: quæ quidem decem & nouem Epactæ progrediuntur, vt olim, per eumdem numerum 11. addunturque ſemper 12. illi Epactæ, quæ reſpondet Aureo numero 19. vt habeatur ſequens Epacta reſpondens Aureo numero 1. ob rationem paulò antè dictam. Id quod ſequens tabella perſpicuum faciet, quæ continet Aureos numeros & Epactas inter ſe reſpondentes ab anno correctionis 1582. poſt detractionem x. dierum, vſque ad annum 1700. excluſiuè. Quamuis autem vulgares Epactæ mutentur in Martio, re ipſa tamen in principio anni mutandæ ſunt vnà cum Aureo numero, in cuius locum hæ noſtræ Epactæ ſuccedunt.

*Tabella Epactarum reſpondentium Aureis numeris ab Idibus Octobris anni correctionis 1582. detractis priùs decem diebus, vſque ad annum 1700. excluſiuè.*

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| Aurei numeri. | 6. | 7. | 8. | 9. | 10. | 11. |
| Epactæ. | xxvj. | vij. | xviij. | xxix. | x. | xxj. |
| | 12 | 13. | 14. | 15. | 16. | 17. |
| | ij. | xiij. | xxiiij. | v. | xvj. | xxvij. |
| | 18 | 19. | 1. | 2. | 3. | 4. | 5. |
| | viij. | xix. | j. | xij. | xxiij. | iiij. | xv. |

Itaque ſi Epacta quocumque anno propoſito inuenienda ſit, quærendus eſt Aureus numerus illius anni in ſuperiori ordine illius tabellæ, quæ illi tempori, in quo propoſitus annus continetur, congruit. Mox enim ſub Aureo numero in inferiori ordine tabellæ reperietur Epacta anni propoſiti, vel certè hoc ſignum *. Vbi ergo illa Epacta vel ſignum * in Kalendario inuentum fuerit, eo die Nouilunium fiet. Inuenietur autem Aureus numerus, vel ex antecedente canone, vel ex tabella Epactarum propoſito tempori congruente, tribuendo primum Aureum numerum illius tabellæ illi anno, à quo vſus tabellæ incipit, & ſecundum Aureum numerum ſequenti anno, &c. Eodem modo reperietur Epacta ſine Aureo numero, ſi prima Epacta tabellæ tribuatur illi anno, à quo eius vſus incipit, & ſecunda Epacta ſequenti anno, &c.

Exemplum. Anno correctionis 1582. Aureus numerus eſt 6. nempe primus primæ tabellæ, cuius vſus incipit ab Idibus Octobris dicti anni 1582. detractis priùs x. diebus. Erit ergo tunc Epacta xxvj. quæ ſub Aureo numero 6. collocatur: fietque Nouilunium die 27. Octobris, & 26. Nouembris, & 25. Decembris. Item anno 1583. iam correcto Aureus numerus eſt 7. cui in eadem tabella ſuppoſita eſt Epacta vij. quæ toto eo anno in Kalendario Nouilunia indicabit: vt in Ianuario die 24. in Februario die 22. in Martio die 24. &c.

*Tabella litterarum Dominicalium ab Idibus Octobris anni correctionis* 1582. *( detractis priùs decem diebus ) vſque ad annum* 1700. *excluſiuè.*

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| c b | A<br>g | f e d | c<br>b | A g f | e<br>d | c b A | |
| g<br>f | e d c | b<br>A | g f e | d<br>c | b A g | f<br>e | d |

Vſus huius tabellæ hic eſt. Anno correctionis 1582. poſt Idus Octobris ( detractis priùs x. diebus ) tribuatur littera c, primæ cellulæ, & ſequenti anno 1583. littera b, ſecundæ, & anno 1584. dentur litteræ A, g, tertiæ cellulæ, & ſic deinceps alijs annis ordine aliæ cellulæ tribuantur, donec ad annum propoſitum perueutum ſit, redeundo ad principium tabellæ, quotieſcumque eam percurreris. Nam cellula, in quam annus propoſitus cadit, dummodò minor ſit, quàm annus 1700. dabit litteram Dominicalem propoſiti anni : quæ ſi vnica occurrerit, annus erit communis ; ſi verò duplex, Biſſextilis : & tunc ſuperior littera Dominicam diem oſtendet in Kalendario à principio anni vſque ad feſtum S. Mathiæ Apoſtoli ; inferior autem ab hoc Feſto vſque ad finem anni. Exempli gratia : Sit inuenienda littera Dominicalis anno 1587. numera ab anno 1582. quem tribue primæ litteræ c, vſque ad annum 1587. tribuendo ſingulis cellulis ſingulos annos ( computando geminas litteras quaſcumque, ſuperiorem & inferiorem, pro vna cellula ) cadetque annus 1587. in litteram d, quæ ſextum locum in tabella occupat. Eſt ergo toto eo anno littera Dominicalis d, annuſque communis eſt, cùm littera ſimplex occurrat. Rurſus ſit inueſtiganda littera Dominicalis anno 1616. numera ab anno 1582. vt dictum eſt, vſque ad annum 1616. redeundo ad principium tabellæ, poſtquam eam percurreris, peruenieſque ad duas haſce litteras, c, b, ſeptimo loco poſitas. Eſt ergo annus ille Biſſextilis, cùm duplex littera occurrat ; ſuperiorque littera c, Dominicam diem indicabit à principio anni illius vſque ad feſtum S. Mathiæ, inferior autem b, in reliqua parte anni.

# DE INDICTIONE.

INDICTIO eſt reuolutio 15. annorum ab 1. vſque ad 15. qua reuolutione peracta, iterùm reditur ad vnitatem, initiumque ſumit quilibet annus huius cycli à Ianuario in Bullis Pontificiis. Et quoniam Indictionum frequens vſus eſt in Diplomatibus, & ſcripturis publicis, facilè annum Indictionis currentem quolibet anno propoſito inueniemus ex ſequenti tabella, cuius vſus perpetuus eſt : initium tamen ſumit ab anno correctionis 1582.

*Tabella Indictionis ab anno correctionis* 1582.

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 10. | 11. | 12. | 13. | 14. | 15. | 1. |
| 2. | 3. | 4. | 5. | 6. | 7. | 8. | 9. |

Nam ſi anno 1582. tribuas primum numerum, qui eſt 10. & ſequenti anno 1583. ſecundùm numerum, qui eſt 11. & ſic deinceps vſque ad annum propoſitum, redeundo ad principium tabellæ, quotieſcumque eam percurreris, cadet annus propoſitus in indictionem, quæ quæritur.

# DE FESTIS MOBILIBVS.

QVONIAM ex decreto ſacri Concilij Nicæni Paſcha, ex quo reliqua Feſta mobilia pendent, celebrari debet die Dominico, qui proximè ſuccedit xiiij. Lunæ primi menſis ; ( is verò apud Hebræos vocatur primus menſis, cuius xiiij. Luna vel cadit in diem verni Æquinoctij, quod die 21. menſis Martij contingit, vel propiùs ipſum ſequitur ; ) efficitur, vt, ſi Epacta cuiuſuis anni inueniatur, & ab ea in Kalendario notata inter diem octauum Martij incluſiuè, & quintum Aprilis incluſiuè ( huius enim Epactæ xiiij. Luna cadit vel in diem Æquinoctij verni, id eſt, in diem 21. Martij, vel eum propiùs ſequitur ) numerentur incluſiuè deorſum verſus dies quatuordecim, proximus dies Dominicus diem hunc xiiij. ſequens ( ne cum Iudæis conueniamus, ſi fortè dies xiiij. Lunæ caderet in diem Dominicum ) ſit dies Paſchæ.

Exemplum. Anno 1605. Epacta eſt x. & littera Dominicalis b. Et quoniam inuenimus Epactam x. inter diem 8. Martij, & 5. Aprilis incluſiuè poſitam eſſe è regione diei 21. Martij, à quo incluſiuè ſi deorſum verſus numerentur 14. dies, inueniemus xiiij. Lunam die 3. Aprilis, quæ eſt Dominica, cùm è regione illius ſit littera Dominicalis b. Ne igitur cum Iudæis conueniamus, qui Paſcha celebrant die xiiij. Lunæ, ſumenda eſt littera Dominicalis b, quæ ſequitur xiiij. Lunam, nempe ea quæ è regione diei 10. Aprilis collocatur : atque eo anno Paſcha celebrandum erit die 10. Aprilis. Item anno 1604. Epacta eſt xxix. & duplex littera Dominicalis d, c, cùm annus ille ſit Biſſextilis. Si igitur ab Epacta xxix. quæ è regione diei 1. Aprilis ponitur inter diem 8. Martij, & 5. Aprilis incluſiuè, numerentur dies 14. cadet xiiij. Luna in diem 14. Aprilis. Et quia tunc currit poſterior littera Dominicalis, nempe c, quæ poſt diem 14. Aprilis, id eſt, poſt xiiij. Lunam collocata eſt è regione diei 18. Aprilis, celebrabitur eo anno Paſcha die 18. Aprilis.

Ceterùm vt faciliùs omnia feſta mobilia inueniantur, compoſitæ ſunt duæ ſequentes tabulæ Paſchales, vna antiqua, & noua altera. Ex antiqua ita Feſta mobilia reperientur. In latere ſiniſtro tabulæ accipiatur Epacta currens, & in linea litterarum Dominicalium ſumatur littera Dominicalis currens,

infra tamen Epactam currentem, ita vt ſi littera Dominicalis currens reperiatur è regione Epactæ currentis, aſſumenda ſit eadem littera Dominicalis proximè inferior. Nam è regione huius litteræ Dominicalis omnia Feſta mobilia continentur.

Exemplum. Anno 1606. Epacta eſt xxj. & littera Dominicalis A. Si igitur in tabula antiqua ſumatur littera Dominicalis A, quæ primò infra Epactam xxj. occurrit, reperietur è regione huius litteræ Dominica Septuageſimæ die 22. Ianuarij, dies Cinerum 8. Februarij, Paſcha 26. Martij, Aſcenſio Domini 4. Maij, Pentecoſtes 14. Maij, & feſtum Corporis Chriſti 25. Maij. Dominicæ autem inter Pentecoſten & Aduentum eo anno erunt 28 & Aduentus celebrabitur die 3. Decembris. Et ſic de ceteris. Item anno 1605. Epacta eſt x. & littera Dominicalis b, quæ in tabula reperitur è regione Epactæ x. Quare ſumenda eſt alia littera b, quæ proximè infra Epactam inuenitur; è regione cuius inuenies Septuageſimam die 6. Februarij, diem Cinerum 23. Februarij, Paſcha 10. Aprilis, &c.

Notandum autem eſt, quòd quemadmodum in anno communi, cadente littera Dominicali è regione Epactæ in tabula antiqua, ſumitur eadem littera proxima infra Epactam, vt diximus: ita quoque in anno Biſſextili, ſi alterutra duarum litterarum Dominicalium tunc currentium è regione Epactæ reperiatur, aſſumendæ ſunt aliæ duæ ſimiles litteræ proximè inferiores, vt Feſta mobilia inueniantur.

Ex tabula verò Paſchali noua ita eadem Feſta mobilia reperientur. In cellula litteræ Dominicalis currentis quæratur Epacta currens. Nam è directo omnia Feſta mobilia deprehendentur. Vt anno 1609 in cellula litteræ Dominicalis d, tunc currentis è regione Epactæ xxiiij. quæ eodem anno currit, habetur Septuageſima die 15. Februarij, dies Cinerum 4. Martij, Paſcha 19. Aprilis, &c.

Sed ſiue antiqua, ſiue noua tabula Paſchali vtamur, inuenienda ſunt omnia Feſta mobilia in annis Biſſextilibus per litteram Dominicalem poſteriorem, quæ nimirum currit poſt feſtum ſancti Mathiæ Apoſtoli; ne ſcilicet ambigamus, vtra duarum litterarum pro hoc aut illo feſto indagando accipienda ſit: ita tamen, vt Septuageſimæ, & diei Cinerum inuentæ in Ianuario, aut Februario, addatur vnus dies. Quod ideò fit, quia ante diem ſancti Mathiæ currit prior littera Dominicalis, quæ in Kalendario poſteriorem ſemper ſequitur: poſt feſtum autem S. Mathiæ in Februario, licet poſterior littera currat, additur tamen tunc dies intercalaris, ita vt dies 24. Februarij dicatur 25. & dies 25. dicatur 26. &c. Quòd ſi dies Cinerum cadat in Martium, nihil addendum eſt, quia tunc & littera poſterior currit, & dies menſis proprijs numeris reſpondent, cùm dies intercalaris Februario ſit additus. Immò niſi per poſteriorem litteram inueſtigarentur, non inueniretur rectè Septuageſima in anno Biſſextili currente Epacta xxiiij. vel xxv. & littera Dominicali d, c, vt in ſecundo ac tertio exemplo perſpicuum fiet pro annis 4088. & 3784. Exempli gratia. Anno 2096. Biſſextili Epacta erit v. & litteræ Dominicales A, g. Si igitur per poſteriorem litteram, quæ eſt g, Feſta mobilia inueſtigentur, reperietur Septuageſima die 11. Februarij, & dies Cinerum 28. Febr. Si autem addatur vnus dies, cadet Septuageſima in diem 12. Februarij, quæ eſt Dominica; & dies Cinerum in diem 29. Febr. quæ eſt Feria quarta. Paſcha autem, & reliqua Feſta in eos dies cadent, qui in tabula expreſſi ſunt. Item anno 4088. Biſſextili Epacta erit xxiiij. & litteræ Dominicales d, c. Si igitur per litteram c, quæ poſterior eſt, inquirantur Feſta mobilia, inuenietur Septuageſima die 21. Februarij: & ſi addatur vnus dies, cadet in diem 22. Februarij, quæ eſt Dominica. Dies autem Cinerum cadet in diem 10. Martij: quare nihil additur, &c. Rurſus anno 3784. Biſſextili, Epacta erit xxv. & litteræ Dominicales d, c. Ergo iterùm per poſteriorem c, reperietur Septuageſima die 21. Februarij, hoc eſt, addita 1. die 22. Quòd ſi per priorem litteram d, in vtroque horum duorum annorum agendum eſſet, nihil efficeretur, cùm infra Epactas xxiiij. & xxv. littera d, indicet Septuageſimam die 15 Februarij, quod falſum eſſet, cùm eo anno poſterior littera c, Paſcha offerat die 25. Aprilis, ac proinde Septuageſima die 22. Februarij celebranda ſit, vt liquidò conſtat, ſi à die Paſchæ, Dominicæ retrò numerentur vſque ad Septuageſimam.

In priori porrò tabula Paſchali antiqua reformata Epactis ad ſiniſtram præpoſuimus Aureos numeros eodem ordine, quo ante emendationem Kalendarij collocari ſolebant, vt ex ijs Feſta mobilia inuenirentur. Hoc autem idcircò à nobis factum eſt, vt Paſcha, ceteraque Feſta mobilia, à Concilio Nicæno vſque ad annum 1582. quilibet indagare poſſit. Eodem autem prorſus artificio ex Aureis numeris ita diſtributis Feſta mobilia eruuntur, quo ex Epactis. Sit enim explorandum, exempli cauſa, quando Feſta hæc celebrata fuerint anno 1450. quoniam eo anno Aureus numerus fuit 7. & littera Dominicalis d, ſi Aureus numerus 7. in ſiniſtro latere accipiatur, & prima littera d, infra eum occurrens, reperietur è regione huius litteræ d, Septuageſima die 1. Februarij, dies Cinerum 18. Februarij, Paſcha die 5. Aprilis, &c.

Aduentus Domini celebratur ſemper die Dominico, qui propinquior eſt feſto ſancti Andreæ Apoſtoli, nempe à die 27. Nouembris incluſiuè vſque ad diem 3. Decembris incluſiuè: ita vt littera Dominicalis currens, quæ reperitur in Kalendario à die 27. Nouemb. vſque ad diem 3. Decembris, indicet Dominicam Aduentus. Vt verbi gratia, ſi littera Dominicalis eſt g, Dominica Aduentus cadet in diem 2. Decembris; quia ibi eſt littera g, in Kalendario, &c.

Ad finem tandem tabularum Paſchalium appoſita eſt tabula temporaria multorum annorum, è regione quorum omnia Feſta mobilia inueniuntur: quæ quidem tabula ex tabulis Paſchalibus excerpta eſt, ex quibus infinitæ aliæ erui poſſunt pro quibuſcumque annis.

# TABVLA PASCHALIS
## ANTIQVA REFORMATA.

| Aur. num |  | Cyclus Epactarũ. | Litt. Dñicales. | Septuageſima. | Dies Cinerum. | Paſcha. | Aſcenſio. | Pentecoſtes. | Corp. Chriſti. | Dñicę poſt Pent. | Prima Dñica Aduent. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 16 |  | xxiij |  | Ianuar. | Febr. | Mart. | Apr. | Maij | Maij |  |  |
| 5 |  | xxij | d | 18 | 4 | 22 | 30 | 10 | 21 | 28 | 29. No. |
|  |  | xxj | e | 19 | 5 | 23 | 1. Maij | 11 | 22 | 28 | 30 |
| 13 |  | xx | f | 20 | 6 | 24 | 2 | 12 | 23 | 28 | 1. Dec. |
| 2 |  | xix | g | 21 | 7 | 25 | 3 | 13 | 24 | 28 | 2 |
|  |  | xviij | A | 22 | 8 | 26 | 4 | 14 | 25 | 28 | 3 |
| 10 |  | xvij | b | 23 | 9 | 27 | 5 | 15 | 26 | 27 | 27. No. |
|  |  | xvj | c | 24 | 10 | 28 | 6 | 16 | 27 | 27 | 28 |
| 18 |  | xv | d | 25 | 11 | 29 | 7 | 17 | 28 | 27 | 29 |
| 7 |  | xiiij | e | 26 | 12 | 30 | 8 | 18 | 29 | 27 | 30 |
|  |  | xiij | f | 27 | 13 | 31 | 9 | 19 | 30 | 27 | 1. Dec. |
| 15 |  | xij | g | 28 | 14 | 1. Ap. | 10 | 20 | 31 | 27 | 2 |
| 4 |  | xj | A | 29 | 15 | 2 | 11 | 21 | 1. Iun. | 27 | 3 |
|  |  | x | b | 30 | 16 | 3 | 12 | 22 | 2 | 26 | 27. No. |
| 12 |  | ix | c | 31 | 17 | 4 | 13 | 23 | 3 | 26 | 28 |
| 1 |  | viij | d | 1. Feb. | 18 | 5 | 14 | 24 | 4 | 26 | 29 |
|  |  | vij | e | 2 | 19 | 6 | 15 | 25 | 5 | 26 | 30 |
| 9 |  | vj | f | 3 | 20 | 7 | 16 | 26 | 6 | 26 | 1. Dec. |
|  |  | v | g | 4 | 21 | 8 | 17 | 27 | 7 | 26 | 2 |
| 17 |  | iiij | A | 5 | 22 | 9 | 18 | 28 | 8 | 26 | 3 |
| 6 |  | iij | b | 6 | 23 | 10 | 19 | 29 | 9 | 25 | 27. No. |
|  |  | ij | c | 7 | 24 | 11 | 20 | 30 | 10 | 25 | 28 |
| 14 |  | j | d | 8 | 25 | 12 | 21 | 31 | 11 | 25 | 29 |
| 3 |  | * | e | 9 | 26 | 13 | 22 | 1. Iun. | 12 | 25 | 30 |
|  |  | xxix | f | 10 | 27 | 14 | 23 | 2 | 13 | 25 | 1. Dec. |
| 11 |  | xxviij | g | 11 | 28 | 15 | 24 | 3 | 14 | 25 | 2 |
|  |  | xxvij | A | 12 | 1. Mar | 16 | 25 | 4 | 15 | 25 | 3 |
| 19 | 25. | xxvj | b | 13 | 2 | 17 | 26 | 5 | 16 | 24 | 27. No. |
| 8 | XXV. | xxiiij | c | 14 | 3 | 18 | 27 | 6 | 17 | 24 | 28 |
|  |  |  | d | 15 | 4 | 19 | 28 | 7 | 18 | 24 | 29 |
|  |  |  | e | 16 | 5 | 20 | 29 | 8 | 19 | 24 | 30 |
|  |  |  | f | 17 | 6 | 21 | 30 | 9 | 20 | 24 | 1. Dec. |
|  |  |  | g | 18 | 7 | 22 | 31 | 10 | 21 | 24 | 2 |
|  |  |  | A | 19 | 8 | 23 | 1. Iun. | 11 | 22 | 24 | 3 |
|  |  |  | b | 20 | 9 | 24 | 2 | 12 | 23 | 23 | 27. No. |
|  |  |  | c | 21 | 10 | 25 | 3 | 13 | 24 | 23 | 28 |

# TABVLA PASCHALIS

| Litteræ Dominicales. | Cyclus Epactarum. | Septuageſima. | Dies Cinerum. | Paſcha. |
|---|---|---|---|---|
| D | 23. | 18 Ian. | 4 Feb. | 22 Mar. |
| | 22.21.20.19.18.17.16. | 25 Ian. | 11 Feb. | 29 Mar. |
| | 15.14.13.12.11.10.9. | 1 Feb. | 18 Feb. | 5 Apr. |
| | 8.7.6.5.4.3.2. | 8 Feb. | 25 Feb. | 12 Apr. |
| | 1.*.29.28.27.26. **25.** 25.24. | 15 Feb. | 4 Mar. | 19 Apr. |
| E | 23.22. | 19 Ian. | 5 Feb. | 23 Mar. |
| | 21.20.19.18.17.16.15. | 26 Ian. | 12 Feb. | 30 Mar. |
| | 14.13.12.11.10.9.8. | 2 Feb. | 19 Feb. | 6 Apr. |
| | 7.6.5.4.3.2.1. | 9 Feb. | 26 Feb. | 13 Apr. |
| | *.29.28.27.26.**25.** 25.24. | 16 Feb. | 5 Mar. | 20 Apr. |
| F | 23.22.21. | 20 Ian. | 6 Feb. | 24 Mar. |
| | 20.19.18.17.16.15.14. | 27 Ian. | 13 Feb. | 31 Mar. |
| | 13.12.11.10.9.8.7. | 3 Feb. | 20 Feb. | 7 Apr. |
| | 6.5.4.3.2.1.*. | 10 Feb. | 27 Feb. | 14 Apr. |
| | 29.28.27.26. **25.** 25. 24. | 17 Feb. | 6 Mar. | 21 Apr. |
| G | 23.22.21.20. | 21 Ian. | 7 Feb. | 25 Mar. |
| | 19.18.17.16.15.14.13. | 28 Ian. | 14 Feb. | 1 Apr. |
| | 12.11.10.9.8.7.6. | 4 Feb. | 21 Feb. | 8 Apr. |
| | 5.4.3.2.1.*.29. | 11 Feb. | 28 Feb. | 15 Apr. |
| | 28.27.26. **25.** 25.24. | 18 Feb. | 7 Mar. | 22 Apr. |
| A | 23.22.21.20.19. | 22 Ian. | 8 Feb. | 26 Mar. |
| | 18.17.16.15.14.13.12. | 29 Ian. | 15 Feb. | 2 Apr. |
| | 11.10.9.8.7.6.5. | 5 Feb. | 22 Feb. | 9 Apr. |
| | 4.3.2.1.*.29.28. | 12 Feb. | 1 Mar. | 16 Apr. |
| | 27.26.**25.** 25.24. | 19 Feb. | 8 Mar. | 23 Apr. |
| B | 23.22.21.20.19.18. | 23 Ian. | 9 Feb. | 27 Mar. |
| | 17.16.15.14.13.12.11. | 30 Ian. | 16 Feb. | 3 Apr. |
| | 10.9.8.7.6.5.4. | 6 Feb. | 23 Feb. | 10 Apr. |
| | 3.2.1.*.29.28.27. | 13 Feb. | 2 Mar. | 17 Apr. |
| | 26.**25.** 25.24. | 20 Feb. | 9 Mar. | 24 Apr. |
| C | 23.22.21.20.19.18.17. | 24 Ian. | 10 Feb. | 28 Mar. |
| | 16.15.14.13.12.11.10. | 31 Ian. | 17 Feb. | 4 Apr. |
| | 9.8.7.6.5.4.3. | 7 Feb. | 24 Feb. | 11 Apr. |
| | 2.1.*.29.28.27.26. **25.** | 14 Feb. | 3 Mar. | 18 Apr. |
| | 25.24. | 21 Feb. | 10 Mar. | 25 Apr. |

NOVA

| Aſcenſio. | Pentecoſtes. | Corpus Chriſti. | Dñicæ inter Pent. & Adu. | Prima Dominica Aduentus. |
|---|---|---|---|---|
| 30 Apr. | 10 Maij | 21 Maij | 28 | 29 Nouemb. |
| 7 Maij | 17 Maij | 28 Maij | 27 | 29 |
| 14 Maij | 24 Maij | 4 Iunij | 26 | 29 |
| 21 Maij | 31 Maij | 11 Iunij | 25 | 29 |
| 28 Maij | 7 Iunij | 18 Iunij | 24 | 29 |
| 1 Maij | 11 Maij | 22 Maij | 28 | 30 Nouemb. |
| 8 Maij | 18 Maij | 29 Maij | 27 | 30 |
| 15 Maij | 25 Maij | 5 Iunij | 26 | 30 |
| 22 Maij | 1 Iunij | 12 Iunij | 25 | 30 |
| 29 Maij | 8 Iunij | 19 Iunij | 24 | 30 |
| 2 Maij | 12 Maij | 23 Maij | 28 | 1 Decemb. |
| 9 Maij | 19 Maij | 30 Maij | 27 | 1 |
| 16 Maij | 26 Maij | 6 Iunij | 26 | 1 |
| 23 Maij | 2 Iunij | 13 Iunij | 25 | 1 |
| 30 Maij | 9 Iunij | 20 Iunij | 24 | 1 |
| 3 Maij | 13 Maij | 24 Maij | 28 | 2 Decemb. |
| 10 Maij | 20 Maij | 31 Maij | 27 | 2 |
| 17 Maij | 27 Maij | 7 Iunij | 26 | 2 |
| 24 Maij | 3 Iunij | 14 Iunij | 25 | 2 |
| 31 Maij | 10 Iunij | 21 Iunij | 24 | 2 |
| 4 Maij | 14 Maij | 25 Maij | 28 | 3 Decemb. |
| 11 Maij | 21 Maij | 1 Iunij | 27 | 3 |
| 18 Maij | 28 Maij | 8 Iunij | 26 | 3 |
| 25 Maij | 4 Iunij | 15 Iunij | 25 | 3 |
| 1 Iunij | 11 Iunij | 22 Iunij | 24 | 3 |
| 5 Maij | 15 Maij | 26 Maij | 27 | 27 Nouemb. |
| 12 Maij | 22 Maij | 2 Iunij | 26 | 27 |
| 19 Maij | 29 Maij | 9 Iunij | 25 | 27 |
| 26 Maij | 5 Iunij | 16 Iunij | 24 | 27 |
| 2 Iunij | 12 Iunij | 23 Iunij | 23 | 27 |
| 6 Maij | 16 Maij | 27 Maij | 27 | 28 Nouemb. |
| 13 Maij | 23 Maij | 3 Iunij | 26 | 28 |
| 20 Maij | 30 Maij | 10 Iunij | 25 | 28 |
| 27 Maij | 6 Iunij | 17 Iunij | 24 | 28 |
| 3 Iunij | 13 Iunij | 24 Iunij | 23 | 28 |

# TABELLA TEMPORARIA

| Anni Domini. | Litteræ Dñicales. | Aureus numerus. | Epactæ. | Septuageſima. | Dies Cinerum. | Paſcha. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 1665 | d | 13 | xiij | 1 Feb. | 18 Febr. | 5 Apr. |
| 1666 | c | 14 | xxiiij | 21 Feb. | 10 Mar. | 25 Apr. |
| 1667 | b | 15 | v | 6 Feb. | 23 Febr. | 10 Apr. |
| 1668 | A g | 16 | xvj | 29 Ian. | 15 Febr. | 1 Apr. |
| 1669 | f | 17 | xxvij | 17 Feb. | 6 Mar. | 21 Apr. |
| 1670 | e | 18 | viij | 2 Feb. | 19 Febr. | 6 Apr. |
| 1671 | d | 19 | xix | 25 Ian. | 11 Febr. | 29 Mar. |
| 1672 | c b | 1 | j | 14 Feb. | 2 Mar. | 17 Apr. |
| 1673 | A | 2 | xij | 29 Ian. | 15 Febr. | 2 Apr. |
| 1674 | g | 3 | xxiij | 21 Ian. | 7 Febr. | 25 Mar. |
| 1675 | f | 4 | iiij | 10 Feb. | 27 Febr. | 14 Apr. |
| 1676 | e d | 5 | xv | 2 Feb. | 19 Febr. | 5 Apr. |
| 1677 | c | 6 | xxvj | 14 Feb. | 3 Mar. | 18 Apr. |
| 1678 | b | 7 | vij | 6 Feb. | 23 Febr. | 10 Apr. |
| 1679 | A | 8 | xviij | 29 Ian. | 15 Febr. | 2 Apr. |
| 1680 | g f | 9 | xxix | 18 Feb. | 6 Mar. | 21 Apr. |
| 1681 | e | 10 | x | 2 Feb. | 19 Febr. | 6 Apr. |
| 1682 | d | 11 | xxj | 25 Ian. | 11 Febr. | 29 Mar. |
| 1683 | c | 12 | ij | 14 Feb. | 3 Mar. | 18 Apr. |
| 1684 | b A | 13 | xiij | 30 Ian. | 16 Febr. | 2 Apr. |
| 1685 | g | 14 | xxiiij | 18 Feb. | 7 Mar. | 22 Apr. |
| 1686 | f | 15 | v | 10 Feb. | 27 Febr. | 14 Apr. |
| 1687 | e | 16 | xvj | 26 Ian. | 12 Febr. | 30 Mar. |
| 1688 | d c | 17 | xxvij | 15 Feb. | 3 Mar. | 18 Apr. |
| 1689 | b | 18 | viij | 6 Feb. | 23 Febr. | 10 Apr. |
| 1690 | A | 19 | xix | 22 Ian. | 8 Febr. | 26 Mar. |
| 1691 | g | 1 | j | 11 Feb. | 28 Febr. | 15 Apr. |
| 1692 | f e | 2 | xij | 3 Feb. | 20 Febr. | 6 Apr. |
| 1693 | d | 3 | xxiij | 18 Ian. | 4 Febr. | 22 Mar. |
| 1694 | c | 4 | iiij | 7 Feb. | 24 Febr. | 11 Apr. |
| 1695 | b | 5 | xv | 30 Ian. | 16 Febr. | 3 Apr. |
| 1696 | A g | 6 | xxvj | 19 Feb. | 7 Mar. | 22 Apr. |
| 1697 | f | 7 | vij | 3 Feb. | 20 Febr. | 7. Apr. |
| 1698 | e | 8 | xviij | 26 Ian. | 12 Febr. | 30 Mar. |
| 1699 | d | 9 | xxix | 15 Feb. | 4 Mar. | 19 Apr. |
| 1700 | c | 10 | ix | 7 Feb. | 24 Febr. | 11 Apr. |
| 1701 | b | 11 | xx | 23 Ian. | 9 Febr. | 27 Mar. |
| 1702 | A | 12 | j | 12 Feb. | 1 Mar. | 16 Apr. |
| 1703 | g | 13 | xij | 4 Feb. | 21 Febr. | 8 Apr. |

FESTO-

# FESTORVM MOBILIVM.

| Anni Domini. | Aſcenſio. | Pente-coſtes. | Corpus Chriſti. | Indi-ctio. | Dominicę poſt Pent. | Dominica j. Aduentus. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 1665 | 14 Maij | 24 Maij | 4 Iunij | 3 | 26 | 29 Nouemb. |
| 1666 | 3 Iunij | 13 Iunij | 24 Iunij | 4 | 23 | 28 Nouemb. |
| 1667 | 19 Maij | 29 Maij | 9 Iunij | 5 | 25 | 27 Nouemb. |
| 1668 | 10 Maij | 20 Maij | 31 Maij | 6 | 27 | 2 Decemb. |
| 1669 | 30 Maij | 9 Iunij | 20 Iunij | 7 | 24 | 1 Decemb. |
| 1670 | 15 Maij | 25 Maij | 5 Iunij | 8 | 26 | 30 Nouemb. |
| 1671 | 7 Maij | 17 Maij | 28 Maij | 9 | 27 | 29 Nouemb. |
| 1672 | 26 Maij | 5 Iunij | 16 Iunij | 10 | 24 | 27 Nouemb. |
| 1673 | 11 Maij | 21 Maij | 1 Iunij | 11 | 27 | 3 Decemb. |
| 1674 | 3 Maij | 13 Maij | 24 Maij | 12 | 28 | 2 Decemb. |
| 1675 | 23 Maij | 2 Iunij | 13 Iunij | 13 | 25 | 1 Decemb. |
| 1676 | 14 Maij | 24 Maij | 4 Iunij | 14 | 26 | 29 Nouemb. |
| 1677 | 27 Maij | 6 Iunij | 17 Iunij | 15 | 24 | 28 Nouemb. |
| 1678 | 19 Maij | 29 Maij | 9 Iunij | 1 | 25 | 27 Nouemb. |
| 1679 | 11 Maij | 21 Maij | 1 Iunij | 2 | 27 | 3 Decemb. |
| 1680 | 30 Maij | 9 Iunij | 20 Iunij | 3 | 24 | 1 Decemb. |
| 1681 | 15 Maij | 25 Maij | 5 Iunij | 4 | 26 | 30 Nouemb. |
| 1682 | 7 Maij | 17 Maij | 28 Maij | 5 | 27 | 29 Nouemb. |
| 1683 | 27 Maij | 6 Iunij | 17 Iunij | 6 | 24 | 28 Nouemb. |
| 1684 | 11 Maij | 21 Maij | 1 Iunij | 7 | 27 | 3 Decemb. |
| 1685 | 31 Maij | 10 Iunij | 21 Iunij | 8 | 24 | 2 Decemb. |
| 1686 | 23 Maij | 2 Iunij | 13 Iunij | 9 | 25 | 1 Decemb. |
| 1687 | 8 Maij | 18 Maij | 29 Maij | 10 | 27 | 30 Nouemb. |
| 1688 | 27 Maij | 6 Iunij | 17 Iunij | 11 | 24 | 28 Nouemb. |
| 1689 | 19 Maij | 29 Maij | 9 Iunij | 12 | 25 | 27 Nouemb. |
| 1690 | 4 Maij | 14 Maij | 25 Maij | 13 | 28 | 3 Decemb. |
| 1691 | 24 Maij | 3 Iunij | 14 Iunij | 14 | 25 | 2 Decemb. |
| 1692 | 15 Maij | 25 Maij | 5 Iunij | 15 | 26 | 30 Nouemb. |
| 1693 | 30 April | 10 Maij | 21 Maij | 1 | 28 | 29 Nouemb. |
| 1694 | 20 Maij | 30 Maij | 10 Iunij | 2 | 25 | 28 Nouemb. |
| 1695 | 12 Maij | 22 Maij | 2 Iunij | 3 | 26 | 27 Nouemb. |
| 1696 | 31 Maij | 10 Iunij | 21 Iunij | 4 | 24 | 2 Decemb. |
| 1697 | 16 Maij | 26 Maij | 6 Iunij | 5 | 26 | 1 Decemb. |
| 1698 | 8 Maij | 18 Maij | 29 Maij | 6 | 27 | 30 Nouemb. |
| 1699 | 28 Maij | 7 Iunij | 18 Iunij | 7 | 24 | 29 Nouemb. |
| 1700 | 20 Maij | 30 Maij | 10 Iunij | 8 | 25 | 28 Nouemb. |
| 1701 | 5 Maij | 15 Maij | 26 Maij | 9 | 27 | 27 Nouemb. |
| 1702 | 25 Maij | 4 Iunij | 15 Iunij | 10 | 25 | 3 Decemb. |
| 1073 | 17 Maij | 27 Maij | 7 Iunij | 11 | 26 | 2 Decemb. |

# I A N V A R I V S.

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | Dies menſis. | | |
|---|---|---|---|---|
| * | A | Kal. | 1 | CIRCVMCISIO DOMINI. duplex. 39. |
| xxix | b | iiij | 2 | Octaua S. Stephani. duplex. cum commemoratione Octauæ S. Ioannis, & SS. Innocentium. 40. |
| xxviij | c | iij | 3 | Octaua S. Ioannis. duplex. cum commemoratione Octauæ SS. Innocentium. 41. |
| xxvij | d | Prid. | 4 | Octaua SS. Innocentium. duplex. 43. |
| xxvj | e | Non. | 5 | Vigilia Epiphaniæ. ſemid. & com. S. Teleſphori Papæ ( & mart. 44. |
| 25. xxv. | f | viij | 6 | EPIPHANIA DOMINI. duplex. 47. |
| xxiiij | g | vij | 7 | De Octaua Epiphaniæ. 48. |
| xxiij | A | vj | 8 | De Octaua. |
| xxij | b | v | 9 | De Octaua. |
| xxj | c | iiij | 10 | De Octaua. |
| xx | d | iij | 11 | De Octaua. & comm. S. Hygini Papæ & mart. 413. |
| xix | e | Prid. | 12 | De Octaua. |
| xviij | f | Idib. | 13 | Octaua Epiphaniæ. duplex. 50. |
| xvij | g | xix | 14 | Hilarij Epiſcopi & Confeſſ. ſemiduplex. cum commemor. S. Felicis Preſbyteri & martyris. 414. |
| xvj | A | xviij | 15 | Pauli primi Eremitæ Confeſſ. ſemiduplex. cum commemor. S. Mauri Abbatis. 416. |
| xv | b | xvij | 16 | Marcelli Papæ & martyris. ſemiduplex. 417. |
| xiiij | c | xvj | 17 | Antonij Abbatis. duplex. 418. |
| xiij | d | xv | 18 | Cathedra S. Petri Romæ. duplex. & commemoratio S. Priſcæ virginis & martyris. 418. |
| xij | e | xiiij | 19 | Marij, Marthæ, Audifacis & Abachum martt. 420. |
| xj | f | xiij | 20 | Fabiani & Sebaſtiani martyrum. duplex. 422. |
| x | g | xij | 21 | Agnetis virginis & martyris. duplex. 423. |
| ix | A | xj | 22 | Vincentij & Anaſtaſij martt. ſemiduplex. 425. |
| viij | b | x | 23 | Emerentianæ virginis & martyris. 425. |
| vij | c | ix | 24 | Timothei Epiſcopi & martyris. ſemiduplex. 425. |
| vj | d | viij | 25 | Conuerſio S. Pauli Apoſtoli. duplex. 426. |
| v | e | vij | 26 | Polycarpi Epiſcopi & martyris. ſemiduplex. 429. |
| iiij | f | vj | 27 | Ioannis Chryſoſtomi Epiſcopi & Confeſſ. duplex. 430. |
| iij | g | v | 28 | Agnetis ſecundò. 431. |
| ij | A | iiij | 29 | Petri Nolaſci Confeſſoris. ſemiduplex. 432. |
| j | b | iij | 30 | Martinæ virginis & martyris. ſemiduplex. 432. |
| * | c | Prid. | 31 | |

FEBRVA-

# FEBRVARIVS.

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | Dies. mensis. | | |
|---|---|---|---|---|
| xxix | d | Kal. | 1 | Iguatij Epiſcopi & martyris. ſemiduplex. 432. |
| xxviij | e | iiij | 2 | PVRIFICATIO B. MARIÆ virginis. duplex. 434. |
| xxvij | f | iij | 3 | Blaſij Epiſcopi & martyris. 438. |
| 25. xxvj | g | Prid. | 4 | |
| xxv. xxiiij. | A | Non. | 5 | Agathæ virginis & martyris. ſemiduplex. 438. |
| xxiij | b | viij | 6 | Dorotheæ virginis & martyris. 439. |
| xxij | c | vij | 7 | Romualdi Abbatis. ſemiduplex. 439. |
| xxj | d | vj | 8 | |
| xx | e | v | 9 | Apolloniæ virginis & martyris. 439. |
| xix | f | iiij | 10 | |
| xviij | g | iij | 11 | |
| xvij | A | Prid. | 12 | |
| xvj | b | Idib. | 13 | |
| xv | c | xvj | 14 | Valentini Presbyteri & martyris. 439. |
| xiiij | d | xv | 15 | Fauſtini & Iouitæ martyrum. 440. |
| xiij | e | xiiij | 16 | |
| xij | f | xiij | 17 | |
| xj | g | xij | 18 | Simeonis Epiſcopi & martyris. 440. |
| x | A | xj | 19 | |
| ix | b | x | 20 | |
| viij | c | ix | 21 | |
| vij | d | viij | 22 | Cathedra S. Petri Antiochiæ. duplex. 440. |
| vj | e | vij | 23 | Vigilia 440. |
| v | f | vj | 24 | MATHIÆ APOSTOLI. duplex. 440. |
| iiij | g | v | 25 | |
| iij | A | iiij | 26 | |
| ij | b | iij | 27 | |
| j | c | Prid. | 28 | |

In annò Biſſextili Februarius eſt dierum 29. & feſtum S. Mathiæ celebratur 25. Februarij, & bis dicitur, Sexto Kalendas, id eſt, die 24. & die 25. & littera Dominicalis, quæ aſſumpta fuit in menſe Ianuario, mutatur in præcedentem: vt ſi in Ianuario littera Dominicalis fuit A, mutatur in præcedentem, quæ eſt g, &c. & littera f, bis ſeruit, 24. 25.

# M A R T I V S.

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | Dies menſis. | | |
|---|---|---|---|---|
| * | d | Kal. | 1 | |
| xxix | e | vj | 2 | |
| xxviij | f | v | 3 | |
| xxvij | g | iiij | 4 | Caſimiri Confeſſoris. ſemiduplex. & commemoratio S. Lucij Papæ & martyris. 442. |
| xxvj | A | iij | 5 | |
| 25. xxv | b | Prid. | 6 | |
| xxiiij | c | Non. | 7 | Thomæ de Aquino Confeſſoris & Eccleſiæ Doctoris. duplex. & commemoratio SS. Perpetuæ & Felicitatis martyrum. 443. |
| xxiij | d | viij | 8 | |
| xxij | e | vij | 9 | Franciſcæ viduæ Romanæ. duplex. 445. |
| xxj | f | vj | 10 | Quadraginta Martyrum. ſemiduplex. 446. |
| xx | g | v | 11 | |
| xix | A | iiij | 12 | Gregorij Papæ & Confeſſoris, & Eccleſiæ Doctoris. duplex. 447. |
| xviij | b | iij | 13 | |
| xvij | c | Prid. | 14 | |
| xvj | d | Idib. | 15 | |
| xv | e | xvij | 16 | |
| xiiij | f | xvj | 17 | Patritij Epiſcopi & Confeſſoris commemor. 449. |
| xiij | g | xv | 18 | |
| xij | A | xiiij | 19 | IOSEPH CONFESSORIS. duplex. 449. |
| xj | b | xiij | 20 | Ioachim Confeſſoris. duplex. 450. |
| x | c | xij | 21 | Benedicti Abbatis. duplex. 452. |
| ix | d | xj | 22 | |
| viij | e | x | 23 | |
| vij | f | ix | 24 | |
| vj | g | viij | 25 | ANNVNTIATIO B. MARIÆ virginis. duplex. 452. |
| v | A | vij | 26 | |
| iiij | b | vj | 27 | |
| iij | c | v | 28 | |
| ij | d | iiij | 29 | |
| j | e | iij | 30 | |
| | f | Prid. | 31 | |

# A P R I L I S.

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | Dies menſis. | | |
|---|---|---|---|---|
| xxix | | Kal. | 1 | |
| xxviij | A | iiij | 2 | Franciſci de Paula Confeſſoris. duplex. 453. |
| xxvij | b | iij | 3 | |
| 25. xxvj | c | Prid. | 4 | |
| xxv. xxiiij | d | Non. | 5 | |
| xxiij | e | viij | 6 | |
| xxij | f | vij | 7 | |
| xxj | g | vj | 8 | |
| xx | A | v | 9 | |
| xix | b | iiij | 10 | |
| xviij | c | iij | 11 | Leonis Papæ & Confeſſoris. duplex. 455. |
| xvij | d | Prid. | 12 | |
| xvj | e | Idib. | 13 | Hermenegildi martyris. ſemiduplex. 456. |
| xv | f | xviij | 14 | Tiburtij, Valeriani, & Maximi martyrum. 457. |
| xiiij | g | xvij | 15 | |
| xiij | A | xvj | 16 | |
| xij | b | xv | 17 | Aniceti Papæ & martyris. 458. |
| xj | c | xiiij | 18 | |
| x | d | xiij | 19 | |
| ix | e | xij | 20 | |
| viij | f | xj | 21 | |
| vij | g | x | 22 | Soteris & Caij Pontificum & martyrum. ſemiduplex. 459. |
| vj | A | ix | 23 | Georgij martyris. ſemiduplex. 461. |
| v | b | viij | 24 | |
| iiij | c | vij | 25 | Marci Euangeliſtæ. duplex. 462. |
| iij | d | vj | 26 | Cleti & Marcellini Pontificum & martyrum. ſemiduplex. 463. |
| ij | e | v | 27 | |
| j | f | iiij | 28 | Vitalis martyris. 464. |
| | g | iij | 29 | Petri martyris. ſemiduplex. 465. |
| xxix | A | Prid. | 30 | Catharinæ Senenſis virginis. ſemiduplex. 466. |

# M A I V S.

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | Dies mensis. | | |
|---|---|---|---|---|
| xxviij | b | Kal. | 1 | PHILIPPI ET IACOBI Apoſtolorum. duplex. 466. |
| xxvij | c | vj | 2 | Athanaſij Epiſcopi & Confeſſoris. duplex. 467. |
| xxvj | d | v | 3 | INVENTIO S. CRVCIS. duplex. & commem. SS. Alexandri, Euentij, & Theoduli martyrum, ac Iuuenalis Epiſc. & Conf. in Miſſis priuatis tantùm. 469. |
| 25. xxv | e | iiij | 4 | Monicæ viduæ. 471. |
| xxiiij | f | iij | 5 | |
| xxiij | g | Prid. | 6 | Ioannis ante portam Latinam. duplex. 472. |
| xxij | A | Non. | 7 | Staniſlai Epiſcopi & martyris. ſemiduplex. 473. |
| xxj | b | viij | 8 | Apparitio S. Michaëlis Archangeli. duplex. 473. |
| xx | c | vij | 9 | Gregorij Nazianzeni Epiſc. & Conf. duplex. 474. |
| xix | d | vj | 10 | Gordiani & Epimachi martyrum. 474. |
| xviij | e | v | 11 | |
| xvij | f | iiij | 12 | Nerei, Achillei, & Domitillæ virginis, atque Pancratij martyrum. ſemiduplex. 476. |
| xvj | g | iij | 13 | |
| xv | A | Prid. | 14 | Bonifacij martyris. 477. |
| xiiij | b | Idib. | 15 | |
| xiij | c | xvij | 16 | Vbaldi Epiſcopi & Confeſſoris. 477. |
| xij | d | xvj | 17 | |
| xj | e | xv | 18 | |
| x | f | xiiij | 19 | Pudentianæ virginis. 477. |
| ix | g | xiij | 20 | Bernardini Senenſis Confeſſoris. ſemiduplex. 477. |
| viij | A | xij | 21 | |
| vij | b | xj | 22 | |
| vj | c | x | 23 | |
| v | d | ix | 24 | |
| iiij | e | viij | 25 | Vrbani Papæ & martyris. 478. |
| iij | f | vij | 26 | Philippi Confeſſoris. ſemiduplex. cum commemorat. S. Eleutherij Papæ & martyris. 479. |
| ij | g | vj | 27 | Ioannis Papæ & martyris. 480. |
| j | A | v | 28 | |
| * | b | iiij | 29 | |
| xxix | c | iij | 30 | Felicis Papæ & martyris. 480. |
| xxviij | d | Prid. | 31 | Petronillæ virginis. 480. |

# I V N I V S.

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | Dies menſis. | | |
|---|---|---|---|---|
| xxvij | e | Kal. | 1 | |
| 25.xxvj | f | iiij | 2 | Marcellini, Petri, atque Eraſmi martyrum. 480. |
| xxv.xxiiij | g | iij | 3 | |
| xxiij | A | Prid. | 4 | |
| xxij | b | Non. | 5 | |
| xxj | c | viij | 6 | Norberti Epiſcopi & Confeſſoris. ſemiduplex. 481. |
| xx | d | vij | 7 | |
| xix | e | vj | 8 | |
| xviij | f | v | 9 | Primi & Feliciani martyrum. 483. |
| xvij | g | iiij. | 10 | |
| xvj | A | iij | 11 | Barnabæ Apoſtoli. duplex. 484. |
| xv | b | Prid. | 12 | Baſilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarij martt. 485. |
| xiiij | c | Idib. | 13 | Antonij de Padua Confeſſoris. ſemiduplex. 486. |
| xiij | d | xviij | 14 | Baſilij Magni Epiſcopi & Confeſſoris. duplex. 488. |
| xij | e | xvij | 15 | Viti, Modeſti, atque Creſcentiæ martyrum. 489. |
| xj | f | xvj | 16 | |
| x | g | xv | 17 | |
| ix | A | xiiij | 18 | Marci & Marcelliani martyrum. 490. |
| viij | b | xiij | 19 | Geruaſij & Protaſij martyrum. 491. |
| vij | c | xij | 20 | Siluerij Papæ & martyris. 492. |
| vj | d | xj | 21 | |
| v | e | x | 22 | Paulini Epiſcopi & Confeſſoris. 494. |
| iiij | f | ix | 23 | Vigilia. 495. |
| iij | g | viij | 24 | NATIVITAS S.IOANNIS BAPTISTÆ. duplex. 498. |
| ij | A | vij | 25 | De Octaua Natiuitatis S. Ioannis. ſemiduplex. 498. |
| j | b | vj | 26 | Ioannis & Pauli martyrum. ſemiduplex. cum commemor. Octauæ Natiuitatis S. Ioannis. 498. |
| * | c | v | 27 | De Octaua Natiuitatis S. Ioannis. |
| xxix | d | iiij | 28 | Leonis Papæ & Confeſſoris. ſemiduplex. cum commemoratione Octauæ S. Ioannis, & Vigiliæ. 499. |
| xxviij | e | iij | 29 | PETRI ET PAVLI Apoſtolorum. duplex. 502. |
| xxvij | f | Prid. | 30 | Commemoratio ſancti Pauli Apoſtoli. duplex. cum |
| | | | 31 | commemoratione Octauæ Natiuitatis S. Ioannis. 504. |

# I V L I V S.

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | Dies menſis. | | |
|---|---|---|---|---|
| xxvj | g | Kal. | 1 | Octaua S. Ioannis Baptiſtæ. duplex. & commemor. Octauæ Apoſtolorum. 506. |
| 25. xxv | A | iiij | 2 | Viſitatio B. Mariæ virg. duplex. cum comm. Octauæ Apoſtol. & SS. Proceſſi & Martiniani martt. 506. |
| xxiiij | b | iij | 3 | De Octaua Apoſtolorum. ſemiduplex. 508. |
| xxiij | c | Prid. | 4 | De Octaua. |
| xxij | d | Non. | 5 | De Octaua. |
| xxj | e | viij | 6 | Octaua Apoſtolorum Petri & Pauli. duplex. 509. |
| xx | f | vij | 7 | |
| xix | g | vj | 8 | |
| xviij | A | v | 9 | ( miduplex. 510. |
| xvij | b | iiij | 10 | Septem fratrum, & SS. Ruſinæ ac Secundæ martt. ſe- |
| xvj | c | iij | 11 | Pij Papæ & mart. 511. ( berti Abbatis. 512. |
| xv | d | Prid. | 12 | Naboris & Felicis martt. & comm. S. Ioannis Gual- |
| xiiij | e | Idib. | 13 | Anacleti Papæ & martyris. ſemiduplex. 513. |
| xiij | f | xix | 14 | Bonauenturæ Epiſc. & Confeſſ. & Eccleſiæ Doctoris. duplex. & commem. S. Henrici Imp. Conf. 514. |
| xij | g | xviij | 15 | |
| xj | A | xvij | 16 | ( extra Romam ad libitum. 516. |
| x | b | xvj | 17 | Alexij Confeſſoris. ſemiduplex. Romæ de præcepto, |
| ix | c | xv | 18 | Symphoroſæ cum ſeptem filijs martyribus. 517. |
| viij | d | xiiij | 19 | |
| vij | e | xiij | 20 | Margaritæ virginis & martyris. 518. |
| vj | f | xij | 21 | Praxedis virginis. 519. |
| v | g | xj | 22 | Mariæ Magdalenæ. duplex. 520. |
| iiij | A | x | 23 | Apollinaris Epiſcopi & martyris. ſemiduplex. 522. |
| iij | b | ix | 24 | Vigilia. & comm. S. Chriſtinæ virg. & mart. 523. |
| ij | c | viij | 25 | IACOBI Apoſtoli. duplex. & commemor. S. Chriſtophori martyris. in Miſſis priuatis. 525. |
| j | d | vij | 26 | ANNÆ matris B. Mariæ. duplex. 526. |
| * | e | vj | 27 | Pantaleonis martyris. 528. |
| xxix | f | v | 28 | Nazarij, Celſi & Victoris Papæ martt. & Innocentij Papæ & Confeſſoris. ſemiduplex. 528. |
| xxviij | g | iiij | 29 | Marthæ virginis. ſemiduplex. & commem. SS. Felicis Papæ, Simplicij, Fauſtini & Beatricis martt. 529. |
| xxvij | A | iij | 30 | Abdon & Sennen martyrum. 530. |
| xxvj | b | Prid. | 31 | Ignatij Confeſſoris. ſemiduplex. 532. |

# A V G V S T V S.

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | Dies menſis. | | |
|---|---|---|---|---|
| xxv. xxiiij | c | Kal. | 1 | Petri ad Vinc. duplex. & comm. SS. Mach. martt. 533. |
| xxiij | d | iiij | 2 | Stephani Papæ & martyris. 535. |
| xxij | e | iij | 3 | Inuentio S. Stephani Protomartyris ſemiduplex. 536. |
| xxj | f | Prid. | 4 | Dominici Confeſſoris. duplex. 537. |
| xx | g | Non. | 5 | Dedicatio S. Mariæ ad Niues. duplex. 539. |
| xix | A | viij | 6 | Transfiguratio Domini. duplex. & commem. SS. Xyſti Papæ, Feliciſſimi & Agapiti martyrum. 539. |
| xviij | b | vij | 7 | Donati Epiſcopi & martyris. 540. |
| xvij | c | vj | 8 | Cyriaci, Largi, & Smaragdi martt. ſemiduplex. 541. |
| xvj | d | v | 9 | Vigilia. & commem. S. Romani martyris. 543. |
| xv | e | iiij | 10 | Lavrentii martyris. duplex. 544. |
| xiiij | f | iij | 11 | De Octaua S. Laurentij. ſemiduplex. cum commem. SS. Tiburtij & Suſannæ martyrum. 545. |
| xiij | g | Prid. | 12 | De Octaua. & commem. S. Claræ virginis. 546. |
| xij | A | Idib. | 13 | De Octaua. & commem. SS. Hippolyti & Caſſiani martyrum. 546. |
| xj | b | xix | 14 | Vigilia. cum comm. Octauæ, & S. Euſebij conf. 546. |
| x | c | xviij | 15 | Assvmptio B. Mariæ. virginis. duplex. 549. |
| ix | d | xvij | 16 | Hyacinthi Confeſſ. duplex. cum commem. Octauarum Aſſumptionis & S. Laurentij. 550. |
| viij | e | xvj | 17 | Oct. S. Laurentij. duplex. & comm. Oct. Aſſumpt. 552. |
| vij | f | xv | 18 | De Octaua. & commem. S. Agapiti martyris. 553. |
| vj | g | xiiij | 19 | De Octaua. (S. Stephani Hungar. reg. Conf. 553. |
| v | A | xiij | 20 | Bernardi Abbat. dupl. cum comm. Octauæ Aſſumpt. & |
| iiij | b | xij | 21 | De Octaua. |
| iij | c | xj | 22 | Oct. Aſſumpt. B. Mariæ. dupl. cum comm. SS. Timothei, Hippolyti, & Symphoriani martt. 555. |
| ij | d | x | 23 | Vigilia. 555. (die 25. 555. |
| j | e | ix | 24 | Bartholomæi Apoſtoli. duplex. Romæ celeb. |
| * | f | viij | 25 | Ludouici regis Franciæ Confeſſ. ſemid. Romæ 26. 556. |
| xxix | g | vij | 26 | Zephyrini Papæ & martyris. 558. |
| xxviij | A | vj | 27 | (S. Hermetis mart. 558. |
| xxvij | b | v | 28 | Auguſtini Epiſ. Conf. & Eccl. Doct. duplex. & comm. |
| xxvj | c | iiij | 29 | Decollatio S. Ioannis Baptiſtæ. duplex. & commemoratio S. Sabinæ martyris. 560. |
| 25. xxv | d | iij | 30 | Felicis & Adaucti martyrum. 561. |
| xxiiij | e | Prid. | 31 | |

# SEPTEMBER.

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | Dies menſis. | | |
|---|---|---|---|---|
| xxiij | f | Kal. | 1 | Ægidij Abbatis. & commemoratio SS. duodecim Fratrum martyrum. 562. |
| xxij | g | iiij | 2 | |
| xxj | A | iij | 3 | |
| xx | b | Prid. | 4 | |
| xix | c | Non. | 5 | |
| xviij | d | viij | 6 | |
| xvij | e | vij | 7 | |
| xvj | f | vj | 8 | NATIVITAS B. MARIÆ virginis. duplex. & commemorat. S. Adriani mart. in Miſſis priuatis. 563. |
| xv | g | v | 9 | De Octaua Natiuitatis B. Mariæ. ſemiduplex. & commemoratio S. Gorgonij martyris. 565. |
| xiiij | A | iiij | 10 | Nicolai de Tolentino Confeſſ. ſemiduplex. cum commemoratione Octauæ Natiuitatis B. Mariæ. 565. |
| xiij | b | iij | 11 | De Oct. & commem. SS. Proti & Hyacinthi martt. 565. |
| xij | c | Prid. | 12 | De Octaua. |
| xj | d | Idib. | 13 | De Octaua. |
| x | e | xviij | 14 | Exaltatio ſanctæ Crucis. duplex. cum commemorat. Octauæ Natiuit. B. Mariæ. 566. |
| ix | f | xvij | 15 | Oct. Nat. B. Mariæ. duplex. cum comm. S. Nicomedis (martyris. 567. |
| viij | g | xvj | 16 | Cornelij & Cypriani Pontt. & mattt. ſemid. cum com. SS. Euphemiæ, Luciæ & Geminiani martt. 567 |
| vij | A | xv | 17 | |
| vj | b | xiiij | 18 | |
| v | c | xiij | 19 | Ianuarij Epiſcopi & ſociorum martt. ſemiduplex. 569. |
| iiij | d | xij | 20 | Euſtachij & ſociorum martt. ſemiduplex cum commemoratione Vigiliæ. 571. |
| iij | e | xj | 21 | MATTHÆI Apoſtoli & Euangeliſtæ duplex. 574. |
| ij | f | x | 22 | Mauritij & ſociorum martyrum. 575. |
| j | g | ix | 23 | Lini Papæ & mart. ſemidupl. cum commem. S. Theclæ ( virg. & mart. 576. |
| * | A | viij | 24 | |
| xxix | b | vij | 25 | |
| xxviij | c | vj | 26 | Cypriani & Iuſtinæ martyrum. 578. |
| xxvij | d | v | 27 | Coſmæ & Damiani martyrum. ſemiduplex. 578. |
| 25. xxvj | e | iiij | 28 | |
| xxv. xxiiij | f | iij | 29 | DEDICATIO S. MICHAELIS Archangeli. duplex. 579. |
| xxiij | g | Prid. | 30 | Hieronymi Presbyteri conf. & Eccl. Doct. duplex. 581. |

# OCTOBER.

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | | Dies menſis | |
|---|---|---|---|---|
| xxij | A | Kal. | 1 | Remigij Epiſcopi & Confeſſoris. 582. |
| xxj | b | vj | 2 | |
| xx | c | v | 3 | |
| xix | d | iiij | 4 | Franciſci Confeſſoris. duplex. 582. |
| xviij | e | iij | 5 | Placidi & ſociorum martyrum. 583. |
| xvij | f | Prid. | 6 | Brunonis Confeſſoris. ſemiduplex. 584. |
| xvj | g | Non. | 7 | Marci Papæ & Confeſſoris. cum commemoratione SS. Sergij, Bacchi, Marcelli & Apuleij martyrum. 585. |
| xv | A | viij | 8 | Birgittæ viduæ. ſemiduplex. 586. |
| xiiij | b | vij | 9 | Dionyſij, Ruſtici & Eleutherij martt. ſemiduplex. 588. |
| xiij | c | vj | 10 | |
| xij | d | v | 11 | |
| xj | e | iiij | 12 | |
| x | f | iij | 13 | |
| ix | g | Prid. | 14 | Calliſti Papæ & martyris. ſemiduplex. 589. |
| viij | A | Idib. | 15 | Tereſiæ virginis. ſemiduplex. 590. |
| vij | b | xvij | 16 | |
| vj | c | xvj | 17 | |
| v | d | xv | 18 | Lucæ Euangeliſtæ. duplex. 591. |
| iiij | e | xiv | 19 | |
| iij | f | xiij | 20 | |
| ij | g | xij | 21 | Hilarionis Abbatis. & commemoratio SS. Vrſulæ & ſociarum virginum & martyrum. 593. |
| j* | A | xj | 22 | |
| | b | x | 23 | |
| xxix | c | ix | 24 | |
| xxviij | d | viij | 25 | Chryſanthi & Dariæ martyrum. 594. |
| xxvij | e | vij | 26 | Euariſti Papæ & martyris. 595. |
| xxvj | f | vj | 27 | Vigilia. 595. |
| 25. xxv. | g | v | 28 | SIMONIS ET IVDÆ Apoſtolorum. duplex. 597. |
| xxiiij | A | iiij | 29 | |
| xxiij | b | iij | 30 | |
| xxij | c | Prid. | 31 | Vigilia 598. |

# N O V E M B E R.

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | Dies menſis. | | |
|---|---|---|---|---|
| xxj | d | Kal. | 1 | FESTVM OMNIVM SANCTORVM. duplex. 601. |
| xx | e | iiij | 2 | Commemoratio omnium fidelium Defunctorum. duplex. & de Octaua omnium Sanctorum. 603. |
| xix | f | iij | 3 | De Octaua. |
| xviij | g | Prid. | 4 | S. Caroli Epiſcopi & Confeſſoris. ſemiduplex. cum commemoratione Octauæ, & SS. Vitalis & Agricolæ martyrum. 603. |
| xvij | A | Non. | 5 | De Octaua. |
| xvj | b | viij | 6 | De Octaua. |
| xv | c | vij | 7 | De Octaua. |
| xiiij | d | vj | 8 | Octaua omnium Sanctorum. duplex. & commemorat. SS. Quatuor Coronatorum martt. 604. |
| xiij | e | v | 9 | Dedicatio Baſilicæ Saluatoris. duplex. & commemoratio S. Theodori martyris. 604. |
| xij | f | iiij | 10 | Tryphonis, Reſpicij, & Nymphæ martyrum. 604. |
| xj | g | iij | 11 | Martini Epiſcopi & Confeſſoris. duplex. & commemoratio S. Mennæ martyris. 605. |
| x | A | Prid. | 12 | Martini Papæ & martyris. ſemiduplex. 607. |
| ix | b | Idib. | 13 | |
| viij | c | xviij | 14 | |
| vij | d | xvij | 15 | |
| vj | e | xvj | 16 | |
| v | f | xv | 17 | Gregorij Thaumaturgi Epiſc. & Conf. ſemid. 608. |
| iiij | g | xiiij | 18 | Dedicatio Baſilicarum Petri & Pauli. duplex. 609. |
| iij | A | xiij | 19 | Pontiani Papæ & martyris. 609. |
| ij | b | xij | 20 | |
| j | c | xj | 21 | Præſentatio B. Mariæ virginis. duplex. 610. |
| * | d | x | 22 | Cæciliæ virginis & martyris. ſemiduplex. 611. |
| xxix | e | ix | 23 | Clementis Papæ & martyris. ſemiduplex. cum commemoratione S. Felicitatis martyris. 612. |
| xxviij | f | viij | 24 | Chryſogoni martyris. 614. |
| xxvij | g | vij | 25 | Catharinæ virginis & martyris. duplex. 615. |
| 25. xxvj | A | vj | 26 | Petri Alexandrini Epiſcopi & martyris. 616. |
| xxv. xxiiij | b | v | 27 | |
| xxiij | c | iiij | 28 | |
| xxij | d | iij | 29 | Vigilia. & commem. S. Saturnini martyris. 401. |
| xxj | e | Prid. | 30 | ANDREÆ Apoſtoli. duplex. 403. |

DECEM.

# DECEMBER.

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | Dies mensis. | | |
|---|---|---|---|---|
| xx | f | Kal. | 1 | |
| xix | g | iiij | 2 | Bibianæ virginis & martyris. ſemiduplex. 404. |
| xviij | A | iij | 3 | Franciſci Xauerij Confeſſoris. ſemiduplex. 404. |
| xvij | b | Prid. | 4 | Barbaræ virginis & martyris commemoratio. 404. |
| xvj | c | Non. | 5 | Sabbæ Abbatis commemoratio. 405. |
| xv | d | viij | 6 | Nicolai Epiſcopi & Confeſſoris. ſemiduplex. 405. |
| xiiij | e | vij | 7 | Ambroſij Epiſcopi Conf. & Eccleſ Doct. duplex. 406. |
| xiij | f | vj | 8 | Conceptio B. Mariæ virginis. duplex. 408. |
| xij | g | v | 9 | |
| xj | A | iiij | 10 | Melchiadis Papæ & martyris commemoratio. 409. |
| x | b | iij | 11 | Damaſi Papæ & Confeſſoris. ſemiduplex. 410. |
| ix | c | Prid. | 12 | |
| viij | d | Idib. | 13 | Luciæ virginis & martyris. duplex 411. |
| vij | e | xix | 14 | |
| vj | f | xviij | 15 | Euſebij Vercellenſis Epiſcopi & mart. comm. 412. |
| v | g | xvij | 16 | |
| iiij | A | xvj | 17 | |
| iij | b | xv | 18 | |
| ij | c | xiiij | 19 | |
| j | d | xiij | 20 | Vigilia. 412. |
| * | e | xij | 21 | THOMÆ Apoſtoli. duplex. 412. |
| xxix | f | xj | 22 | |
| xxviij | g | x | 23 | |
| xxvij | A | ix | 24 | Vigilia. 18. |
| xxvj | b | viij | 25 | NATIVITAS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. duplex. 21. & comm. S. Anaſtaſiæ mart. in ij. Miſſa. |
| 25. xxv | c | vij | 26 | STEPHANI Protomartyris. duplex. cum commemoratione Octauæ Natiuitatis. 25. |
| xxiiij | d | vj | 27 | IOANNIS Apoſtoli & Euangeliſtæ. duplex. cum commemoratione Octauarum. 27. |
| xxiij | e | v | 28 | SS. INNOCENTIVM martyrum. duplex. cum commemoratione Octauarum. 28. |
| xxij | f | iiij | 29 | Thomæ Cantuarienſis Epiſcopi & mart. ſemiduplex. cum commemoratione Octauarum. 30. |
| xxj | g | iij | 30 | De Dominica infra Oct. Natiu. 33. vel de Oct. Natiu. cum comm. aliarum Octauar. 35. (Octauar. 57. |
| 19. xx | A | Prid. | 31 | SILVESTRI Papæ & Conf. duplex. cum comm. |

*Hæc Epacta* 19. *nigra numquam eſt in vſu, niſi quando eodem anno concurrit cum Aureo numero* xix.

RVBRI-

# RVBRICÆ GENERALES MISSALIS.

MISSA quotidie dicitur ſecundùm ordinem Officij de Feſto Duplici, vel Semiduplici, vel Simplici: de Dominica, vel Feria, vel Vigilia, vel Octaua: & extra ordinem Officij, Votiua, vel pro Defunctis.

### De Duplici. I.

Miſſa dicitur de Duplici illis diebus, quibus in Kalendario ponitur hæc nota Duplex, & in Feſtis mobilibus, quandocumque Officium eſt Duplex. In Duplicibus dicitur vna tantùm Oratio, niſi aliqua commemoratio fieri debeat. Alia omnia dicuntur vt in proprijs Miſſis aſſignatum eſt. Quando dici debeat, Gloria in excelſis, & Credo, inferiùs ponitur in proprijs Rubricis.

### De Semiduplici, & Simplici. II.

Miſſa de Semiduplici dicitur, quando in Kalendario ponitur hæc vox Semiduplex. Præterea in Dominicis, & diebus infra Octauas. In Semiduplicibus tam Feſtis, quàm Dominicis, & infra Octauas, dicuntur plures Orationes, vt infrà dicetur in Rubrica de Orationibus. Infra Octauam dicitur Miſſa ſicut in die Feſti, niſi propriam Miſſam habuerit: in Dominicis verò, ſicut in proprijs locis aſſignatur. De Simplici dicitur Miſſa ſicut de Semiduplici, vt ſuis locis ponitur.

### De Feria, & Vigilia. III.

1 Miſſa de Feria dicitur, quando non occurrit Feſtum, vel Octaua, vel Sabbatum, in quo fiat Officium B. Mariæ. In Ferijs tamen Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum, etiam ſi Duplex, vel Semiduplex Feſtum, vel Octaua occurrat, in Eccleſijs Cathedralibus & Collegiatis cantantur duæ Miſſæ, vna de Feſto poſt Tertiam, alia de Feria poſt Nonam.

2 In Vigilijs autem & Ferijs Quatuor Temporum, vel Feria ſecunda Rogationum: quæ veniunt infra Octauam, Miſſa dicitur de Vigilia, vel Ferijs ſupradictis, cum commemoratione Octauæ: præterquam infra Octauam Corporis Chriſti, in qua in Eccleſijs Cathedralibus & Collegiatis cantantur duæ Miſſæ, vna de Octaua poſt Tertiam, alia de Vigilia poſt Nonam: in Miſſis autem priuatis dicitur Miſſa de Octaua, cum commemoratione Vigiliæ. Si autem in die Vigiliæ, vel prædictis Feriis, fiat Officium de aliquo Feſto, tunc dicitur Miſſa de Feſto, cum commemoratione Octauæ, & Vigiliæ, vel Feriarum prædictarum. Quòd ſi Vigilia occurrat in die alicuius Feſti ex maioribus primæ claſſis, in Miſſa non fit commemoratio de ea, ſicut nec in Officio.

3 Si Feſtum habens Vigiliam celebretur Feria ſecunda, Miſſa Vigiliæ dicitur in Sabbato, ſicut etiam de ea fit Officium: excepta Vigilia Natiuitatis Domini, & Epiphaniæ.

4 Miſſa Vigiliæ in Aduentu occurrentis dicitur cum commem. Feriæ Aduentus, licet de ea non ſit factum Officium: Vigilia Natiuitatis excepta.

5 Si in Quadrageſima, & Quatuor Temporibus occurrat Vigilia, dicatur Miſſa de Feria cum commemoratione Vigiliæ.

6 Tempore Paſchali non dicitur Miſſa de Vigilia, niſi in Vigilia Aſcenſionis; quæ tamen non ieiunatur, ſicut nec Vigilia Epiphaniæ.

### De Miſſis Votiuis S. Mariæ, & alijs. IV.

1 IN Sabbatis non impeditis Feſto Duplici, Semiduplici, Octaua, Vigilia, Feria Quadrageſimæ, vel Quatuor Temporum, vel Officio alicuius Dominicæ quæ ſuperſit, in præcedens Sabbatum tranſlato, dicitur Miſſa de S. Maria ſecundùm varietatem temporum, vt in fine Miſſalis ponitur.

2 In Aduentu autem, licet Officium non fiat de S. Maria in Sabbato, dicitur tamen Miſſa principalis de ea, cum commemoratione de Aduentu, niſi fuerint Quatuor Tempora, vel Vigilia, vt ſuprà.

3 Alijs diebus infra Hebdomadam, quando Officium fit de Feria, & non eſt reſumenda Miſſa Dominicæ præcedentis, quæ fuerit impedita (exceptis Ferijs Aduentus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum) dici poteſt aliqua ex Miſſis Votiuis, etiam in principali Miſſa quæ vocatur Conuentualis, ſecundùm ordinem dierum in fine Miſſalis aſſignatum, cum commemoratione Feriæ de qua factum eſt Officium. Quæ tamen Miſſæ, & omnes aliæ Votiuæ, in Miſſis priuatis dici poſſunt pro arbitrio Sacerdotum, quocumque die Officium non eſt Duplex, aut Dominica, cum commemoratione eius, de quo factum eſt Officium, & commemoratione item Feſti Simplicis, ſi de aliquo occurrat eo die fieri commemorationem in Officio. Id verò paſſim non fiat, niſi rationabili de cauſa. Et quoad fieri poteſt, Miſſa cum Officio conueniat.

### De Miſſis Defunctorum. V.

1 PRima die cuiuſque menſis (extra Aduentum, Quadrageſimam, & tempus Paſchale) non impedita Officio Duplici vel Semiduplici dicitur Miſſa principalis generaliter pro Defunctis Sacerdotibus, benefactoribus, & alijs. Si verò

in ea fuerit Feſtum Simplex, vel Feria quæ propriam habeat Miſſam, aut reſumenda ſit Miſſa Dominicæ præcedentis, quæ fuit impedita: & infra Hebdomadam non occurrat alius dies in quo reſumi poſſit: in Eccleſijs Cathedralibus & Collegiatis dicantur duæ Miſſæ, vna pro Defunctis, alia de Feſto Simplici, vel Feria prædicta. Sed in Eccleſijs non Cathedralibus nec Collegiatis dicatur Miſſa de die cum commemoratione generaliter pro Defunctis.

2 Præterea Feria ſecunda cuiuſque Hebdomadæ, in qua Officium fit de Feria, Miſſa principalis dici poteſt pro Defunctis. Si autem fuerit propria Miſſa de Feria, vel de Feſto Simplici, vel reſumenda ſit Miſſa Dominicæ præcedentis, vt ſuprà in Miſſa de die fiat commemoratio (vt dictum eſt) pro Defunctis. Excipitur tamen Quadrageſima, & totum tempus Paſchale, & quando per annum Officium eſt Duplex, vel Semiduplex: quibus temporibus non dicitur Miſſa Conuentualis pro Defunctis (niſi in die Depoſitionis defuncti, & in Anniuerſario pro Defunctis) neque pro eis fit commemoratio. Miſſæ autem priuatæ pro Defunctis quocumque die dici poſſunt, præterquam in Feſtis Duplicibus, & Dominicis diebus.

3 In die Commemorationis omnium Defunctorum, & in die Depoſitionis, in Anniuerſario defuncti, dicitur vna tantùm Oratio; & ſimiliter in die Tertia, Septima, Trigeſima, & quandocumque pro Defunctis ſolemniter celebratur: in alijs Miſſis plures, vt de Ferijs & Simplicibus dicetur infrà in Rubrica de Orationibus.

4 Sequentia pro Defunctis dicitur in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, & Depoſitionis defuncti, & quandocumque in Miſſa dicitur vna tantùm Oratio: in alijs autem Miſſis pro Defunctis dicatur ad arbitrium Sacerdotis.

### De Tranſlatione Feſtorum. VI.

IN dicendis Miſſis ſeruetur ordo Breuiarij de Tranſlatione Feſtorum Duplicium & Semiduplicium, quando maiori aliquo Feſto, ſeu Dominica impediuntur. In Eccleſijs autem, vbi titulus eſt Eccleſiæ, vel concurſus populi ad celebrandum Feſtum quod transferri debet, poſſunt cantari duæ Miſſæ, vna de die, alia de Feſto: excepta Dominica prima Aduentus, Feria quarta Cinerum, Dominica prima Quadrageſimæ, Dominica Palmarum cum tota Hebdomada maiori, Dominica Reſurrectionis, & Dominica Pentecoſtes cum duobus diebus ſequentibus, die Natiuitatis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis, & feſto Corporis Chriſti.

### De Commemorationibus. VII.

1 COmmemorationes in Miſſis fiunt ſicut in Officio. De Feſto Simplici fit commemoratio in Miſſa, quando de eo in Officio facta eſt commemoratio in primis Veſperis. Quando autem de eo fit commemoratio tantùm ad Laudes, in Miſſa ſolemni non fit commemoratio de eo, ſed in Miſſis tantùm priuatis. Excipitur Dominica Palmarum, & Vigilia Pentecoſtes, in quibus nulla fit commemoratio, etiam in Miſſis priuatis, de Feſto Simplici occurrente, licet facta ſit in Officio. De Dominica fit commemoratio, quando in ea agitur de Feſto Duplici. De Octaua fit commemoratio, quando infra Octauam celebratur aliquod Feſtum, niſi illud Feſtum fuerit de exceptuatis in Rubrica Breuiarij de Commemorationibus. Item quando infra Octauam fit de Dominica.

De Feria fit commemoratio in Aduentu, Quadrageſima, Quatuor Temporibus, Rogationibus, & Vigilijs, quando Miſſa dicenda eſt de Feſto illis temporibus occurrente. Sed in Eccleſijs Cathedralibus & Collegiatis, vbi plures Sacerdotes quotidie celebrant, in Ferijs, Rogationibus, & Vigilijs prædictis, quæ habent Miſſas proprias, dicuntur duæ Miſſæ, vna de Feſto, alia de Feria, Rogationibus, & Vigilia abſque vlla vtrorumque commemoratione: in Feſtis tamen maioribus primæ claſſis nihil fit de Vigilia occurrente, vt dictum eſt ſuprà. 2

Quando infra Hebdomadam dicuntur Miſſæ Votiuæ, poſt primam Orationem ſemper dicatur Oratio eius de quo fit Officium, vt ſuprà explicatum eſt in propria Rubrica. 3

Quando fit commemoratio de Feria Quatuor Temporum, pro Feriæ commemoratione dicitur prima Oratio, quæ concordat cum Officio. 4

In faciendis Commemorationibus ſeruetur ordo vt in Breuiario. De Dominica, ante diem infra Octauam: de die infra Octauam, ante Ferias prædictas: de Ferijs prædictis, ante Feſtum Simplex: de Feſto Simplici, ante Orationes quæ ſecundo vel tertio loco dicendæ aſſignantur; & hæ dicantur ante Orationes Votiuas: in quibus Votiuis ſeruetur deinde dignitas Orationum, vt de S. Trinitate, de Spiritu ſancto, de Sacramento, de S. Cruce ante Votiuam de B. Maria, & de Angelis & S. Ioanne Baptiſta ante Apoſtolos, & ſimiliter in alijs. 5

Si facienda ſit commemoratio pro Defunctis, ſemper ponitur pænultimo loco. In Miſſis autem Defunctorum nulla fit commemoratio pro viuis, etiam ſi Oratio eſſet communis pro viuis & defunctis. 6

Quando dicuntur plures Orationes, prima tantùm & vltima cum ſua concluſione terminantur: & ante primam & ſecundam Orationem tantùm dicitur Oremus: ante primam dicitur etiam, Dominus vobiſcum. 7

Cùm verò dicuntur plures Orationes, & vna Oratio eadem ſit cum alia ibidem dicenda, Oratio huiuſmodi, illa ſcilicet quæ eadem eſt, non aliæ, commutetur cum alia de Communi, vel Proprio, quæ ſit diuerſa. Idem ſeruetur in Secretis, & Orationibus poſt Communionem. 8

### De Introitu, Kyrie eleiſon, & Gloria in excelſis. VIII.

INtroitus ſemper eodem modo dicitur cum Gloria Patri, vt in Ordinario, præterquam tempore Paſſionis, & in Miſſis Defunctorum, vt etiam ibi annotatum eſt. 1

2 *Kyrie eleïſon* dicitur nouies poſt Introitum, alternatim cum miniſtro, id eſt, ter *Kyrie eleïſon*, ter *Chriſte eleïſon*, ter *Kyrie eleïſon.*

3 *Gloria in excelſis* dicitur, quandocumque in Matutino dictus eſt Hymnus, *Te Deum*, præterquam in Miſſa Feriæ quintæ in Cœna Domini, & Sabbati ſancti, in quibus *Gloria in excelſis* dicitur, quamuis in Officio non ſit dictum, *Te Deum.*

4 In Miſſis Votiuis non dicitur, etiam tempore Paſchali, vel infra Octauas, niſi in Miſſa B. Mariæ in Sabbato, & Angelorum: & niſi Miſſa Votiua ſolemniter dicenda ſit pro re graui, vel pro publica Eccleſiæ cauſa, dummodò non dicatur Miſſa cum paramentis violaceis. Neque dicitur in Miſſis Defunctorum.

## De Orationibus. IX.

1 IN Feſtis Duplicibus dicitur vna tantùm Oratio, niſi facienda ſit aliqua commemoratio, vt dictum eſt ſuprà.

2 In Feſtis Semiduplicibus occurrentibus ab Octaua Pentecoſtes vſque ad Aduentum, & à Purificatione vſque ad Quadrageſimam, dicitur ſecunda Oratio, *A cunctis*, tertia ad libitum.

3 In Feſtis Semiduplicibus occurrentibus ab Octaua Epiphaniæ vſque ad Purificationem, dicitur ſecunda Oratio, *Deus qui ſalutis*, tertia *Eccleſiæ*, vel pro Papa, *Deus omnium fidelium.*

4 In Feſtis Semiduplicibus, à Feria iiij. Cinerum vſque ad Dominicam Paſſionis, ſecunda Oratio de Feria, tertia *A cunctis.*

5 In Semiduplicibus, à Dominica Paſſionis vſque ad Dominicam Palmarum, ſecunda Oratio de Feria, tertia *Eccleſiæ*, vel pro Papa.

6 In Feſtis Semiduplicibus, ab Octaua Paſchæ vſque ad Aſcenſionem, ſecunda Oratio de S. Maria, *Concede nos*, tertia *Eccleſiæ*, vel pro Papa.

7 In Feſtis Semiduplicibus infra Octauas occurrentibus, ſecunda Oratio dicitur de Octaua, tertia, quæ ſecundo loco infra Octauam ponitur.

8 Infra Octauas Paſchæ, & Pentecoſtes, in Miſſa de Octaua dicuntur duæ tantùm Orationes, vna de die, alia *Eccleſiæ*, vel pro Papa.

9 Infra alias Octauas, & in Vigiliis quæ ieiunantur (excepta Vigilia Natiuitatis Domini, & Pentecoſtes) dicuntur tres; vna de die, ſecunda de S. Maria, tertia *Eccleſiæ*, vel pro Papa. Sed infra Octauas S. Mariæ, & in Vigilia, & infra Octauam omnium Sanctorum, ſecunda Oratio dicitur de Spiritu ſancto, *Deus qui corda*, tertia *Eccleſiæ*, vel pro Papa.

10 In Dominicis infra Octauas occurrentibus dicuntur duæ Orationes, vna de Dominica, ſecunda de Octaua: & in die Octaua dicitur vna tantùm Oratio, niſi facienda ſit aliqua commemoratio.

11 In Dominicis dicuntur tres, vt in Ordinario aſſignantur, quibuſdam exceptis, vt ſuis etiam locis notatur.

12 In Feſtis Simplicibus, & Ferijs per annum, niſi aliter in proprijs locis notetur, dicuntur tres, vt in Semiduplicibus, aut quinque: poſſunt etiam dici ſeptem ad libitum.

In Ferijs Quatuor Temporum, & vbi plures 13
leguntur Lectiones, huiuſmodi plures Orationes dicuntur poſt vltimam Orationem ante Epiſtolam, vt ſuis locis in Proprio Miſſarum de Tempore.

In Miſſis Votiuis, quando ſolemniter dicuntur 14
pro re graui, vel pro publica Eccleſiæ cauſa, dicitur vna tantùm Oratio: ſed in Miſſa pro gratiarum actione additur alia Oratio, vt in proprio loco notatur. In alijs autem dicuntur plures, vt in Feſtis Simplicibus.

In Votiuis B. Mariæ ſecunda Oratio dicitur de 15
Officio illius diei, & tertia de Spiritu ſancto: ſed in Sabbato, quando de ea factum eſt Officium, ſecunda Oratio erit de Spiritu ſancto, tertia *Eccleſiæ tuæ*, vel pro Papa. In Votiuis de Apoſtolis, quando ponitur Oratio, *A cunctis*, eius loco dicitur Oratio de ſancta Maria, *Concede nos famulos.*

Si, cùm plures dicuntur Orationes, occurrat fie- 16
ri commemorationem alicuius Sancti, ea ponitur ſecundo loco, & tertia Oratio dicitur, quæ aliàs ſecundo loco dicenda erat.

In concluſione Orationum hic modus ſerua- 17
tur. Si Oratio dirigatur ad Patrem, concluditur, *Per Dominum noſtrum*, &c. Si ad Filium, *Qui viuis & regnas cum Deo Patre.* Si in principio Orationis fiat mentio Filij, concluditur, *Per eumdem Dominum noſtrum.* Si in fine Orationis eius fiat mentio, *Qui tecum viuit.* Si facta ſit mentio Spiritus ſancti, in concluſione dicitur, *In vnitate eiuſdem Spiritus ſancti*, &c. Alia quoque in dicendis Orationibus ſeruentur, quæ ſuperiùs in Rubrica de Commemorationibus dicta ſunt.

## De Epiſtola, Graduali, Alleluia, & Tractu, ac de Euangelio. X.

POſt vltimam Orationem dicitur *Epiſtola*: 1
qua finita, à miniſtris reſpondetur, *Deo gratias.* Et ſimiliter quando leguntur plures Lectiones, poſt ſingulas dicitur, *Deo gratias*, præterquam in fine quintæ Lectionis Danielis in Sabbatis Quatuor Temporum, & in fine Lectionum Feriæ ſextæ in Paraſceue, & Sabbati ſancti.

Poſt Epiſtolam dicitur *Graduale*: quod ſemper 2
dicitur, præterquam tempore Paſchali, cuius loco tunc dicuntur duo Verſus, vt habetur in Rubrica in Sabbato in Albis.

Poſt Graduale dicuntur duo *Alleluia*, deinde 3
Verſus, & poſt Verſum, vnum *Alleluia*. Tempore Paſchali, quando non dicitur Graduale, dicitur aliud *Alleluia* poſt ſecundum Verſum: & quando dicitur *Sequentia*, non dicitur poſt vltimum Verſum, ſed poſt Sequentiam.

A Septuageſima vſque ad Sabbatum ſanctum 4
non dicitur *Alleluia*, neque dicitur in Miſſis de Feria in Aduentu, Quatuor Temporibus, & Vigilijs quæ ieiunantur, exceptis Vigilia Natiuitatis Domini, ſi venerit in Dominica, & Vigilia Paſchæ & Pentecoſtes, ac Quatuor Temporibus Pentecoſtes. Nec dicitur in feſto SS. Innocentium, niſi venerit in Dominica.

5 A Septuageſima vſque ad Paſcha, eius loco dicitur Tractus: qui Tractus prædicto tempore in aliquibus Feriis non dicitur, vt ſuis locis ponitur: nec dicitur in Feriis à Septuageſima vſque ad Quadrageſimam, quando repetitur Miſſa Dominicæ.

6 Dicto Graduali, ſeu Alleluia, ſeu Tractu, dicitur Euangelium. Et in principio Euangelij dicitur, Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. deinde, Sequentia ſancti Euangelij ſecundùm N. ℟. Gloria tibi Domine. In fine Euangelij à miniſtro reſpondetur, Laus tibi Chriſte, quod etiam dicitur in fine illius partis Paſſionis, quæ legitur in tono Euangelij, præterquam in Paraſceue. Poſteà ſi dicendum eſt, dicitur Credo.

## De Symbolo. XI.

Symbolum dicitur poſt Euangelium in omnibus Dominicis per annum, etiam ſi in illis fiat de Feſto, in quo aliàs non diceretur, vel Dominica vacet. In tribus Miſſis de Natiuitate Domini, & deinceps vſque ad Octauam B. Ioannis Apoſtoli incluſiuè. In Epiphania, & per Octauam. Feria v. in Cœna Domini. In Paſchate Reſurrectionis, & per Octauam. In Aſcenſione Domini, & per Octauam. In Pentecoſte, & per Octauam. In Feſto Corporis Chriſti, & per Octauam. In omnibus feſtis B. Mariæ, & per Octauas. In feſtis duodecim Apoſtolorum, & Euangeliſtarum, & per Octauas. In vtraque Cathedra S. Petri, & in feſto S. Petri ad Vincula. In feſtis Conuerſionis & Commemorationis S. Pauli Apoſtoli. In feſto S. Ioannis ante portam Latinam. In feſto S. Barnabæ Apoſtoli. In feſtis Inuentionis & Exaltationis ſanctæ Crucis. In Transfiguratione Domini. In feſtis Angelorum. In feſto S. Mariæ Magdalenæ. In feſtis quatuor Doctorum, videlicet Gregorij, Ambroſij, Auguſtini, & Hieronymi, addito feſto ſancti Thomæ de Aquino, & S. Bonauenturæ. Item in feſtis Doctorum, Athanaſij, Baſilij, Gregorij Nazianzeni, & Ioannis Chryſoſtomi. In die Octauarum S. Ioannis Baptiſtæ, & S. Laurentij. In feſto omnium Sanctorum, & per Octauam. In Dedicationibus S. Saluatoris, & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli. In anniuerſario Dedicationis propriæ Eccleſiæ, & per Octauam. In die Conſecrationis Eccleſiæ, vel Altaris. In feſtis Sanctorum quibus dedicata eſt Eccleſia, & vbi habetur corpus, vel inſignis reliquia Sancti, de quo agitur. In die Creationis & Coronationis ſummi Pontificis, & in Anniuerſario eiuſdem diei. In die & in Anniuerſario electionis & conſecrationis Epiſcopi. Item in omnibus Feſtis, quæ in Dominicis, & infra Octauas celebrantur: in quibus ratione Dominicæ & Octauæ dici debet. Item in feſto Patroni alicuius loci, vel tituli Eccleſiæ (non autem alicuius Capellæ, vel Altaris) & in Feſtis principalibus Ordinum, & per eorum Octauas, in Eccleſiis tantùm illius Ordinis. Item dicitur Credo, in Miſſis Votiuis, quæ ſolemniter pro re graui, vel pro publica Eccleſiæ cauſa celebrantur, etiam ſi dicantur in paramentis violaceis in Dominica.

## De Offertorio, Secretis, & Præfationibus, & Canone XII.

1 Poſt Symbolum, vel ſi non ſit dicendum, poſt Euangelium, dicitur Dominus vobiſcum, Oremus, deinde Offertorium. poſteà fit oblatio cum Orationibus, vt in Ordine Miſſæ. Qua oblatione facta, dicuntur Orationes ſecretæ, ſecundùm numerum Orationum quæ clara voce in principio dictæ ſunt: ſed ante primam Orationem non dicitur, Dominus vobiſcum, nec aliquid aliud; ſed dicto, Suſcipiat Dominus ſacrificium, abſolutè dicuntur. neque etiam ante ſecundam Orationem dicitur, Oremus. Terminatur autem prima & vltima Oratio, vt dictum eſt ſuprà in Rubrica de Orationibus: & ſecretò dicuntur vſque ad illa verba in concluſione, Per omnia ſæcula ſæculorum, quæ clara voce proferuntur, & incipitur Præfatio.

2 Præfationes autem dicuntur vt in Ordine Miſſæ annotatum eſt: & quæ in Quadrageſima, tempore Paſſionis, & Paſchali, & infra Octauas propriæ aſſignantur, dicuntur etiam in Dominicis & Feſtis quæ illis temporibus celebrantur: niſi illa Feſta propriam Præfationem habeant.

3 Si infra Octauam alicuius Feſti, quod habet Præfationem propriam, occurrat Feſtum ex maioribus non habens propriam Præfationem, dicitur Præfatio de Octaua, quamuis de ea nulla fiat commemoratio in Miſſa.

4 In Miſſis Votiuis dicitur etiam Præfatio propria, ſi propriam habeant: ſi verò non habuerint, dicitur Præfatio de Tempore, vel Octaua infra quam contigerit huiuſmodi Miſſas celebrari: alioquin Præfatio communis. Et quando aliqua Miſſa Votiua pro cauſa publica ſolemniter celebratur, dicitur in cantu ſolemni, vt in Duplicibus. In Miſſis Defunctorum quocumque tempore ſemper dicitur Præfatio communis.

5 Poſt Præfationem incipitur Canon Miſſæ ſecretò: in quo ſeruentur omnia vt in Ordine Miſſæ. Vbi verò infra actionem, Communicantes, & Hanc igitur, vel alia variari contingit, ſuo loco in propriis Miſſis adnotatur.

## De Communione, Orationibus poſt Communionem, Ite Miſſa eſt, vel, Benedicamus Domino, de Benedictione, & Euangelio ſancti Ioannis. XIII.

1 Expleto Canone, & aliis omnibus vſque ad Communionem, ea peracta dicitur Communio, & Orationes poſt Communionem eodem modo & ordine vt in principio Miſſæ: & repetito, Dominus vobiſcum, dicitur, Ite Miſſa eſt, vel Benedicamus Domino, pro temporis ratione. Ite Miſſa eſt, dicitur quandocumque dictum eſt, Gloria in excelſis. Cùm non dicitur, eius loco dicitur, Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias. In Miſſis Defunctorum dicitur, Requieſcant in pace. ℟. Amen.

2 Dicto Placeat, datur Benedictio: quæ à Ce-

lebrante ſemper datur in Miſſa, præterquam in Miſſis Defunctorum. Deinde legitur Euangelium S. Ioannis, In principio, præmiſſo Dominus vobiſcum, & Initium, vt moris eſt: quod Euangelium numquam prætermittitur in Miſſa, niſi quando fit de Feſto in aliqua Dominica, vel Feria quæ habet Euangelium proprium: quod legitur eius loco. Excipitur Dominica iiij. Aduentus, cuius Euangelium non legitur in fine Miſſæ, quando in ea occurrit Vigilia Natiuitatis Domini, quia nec in Officio lectum eſt. In tertia Miſſa de die Natiuitatis Domini legitur in fine Euangelium de Epiphania, Cùm natus eſſet Ieſus. Et in Dominica Palmarum in Miſſis priuatis legitur Euangelium quod ponitur in benedictione Palmarum, quod etiam lectum eſt in Officio. In Vigiliis quæ occurrunt in Quadrageſima, vel Quatuor Temporibus, non legitur Euangelium Vigiliæ in fine Miſſæ. Et ſimiliter in Miſſis Votiuis numquam legitur in fine aliud Euangelium, niſi S. Ioannis.

## De ordinanda Miſſa ex ſupradictis Rubricis. XIV.

SVpradictis Rubricis cognitis, ſi quis velit ordinare Miſſam diei, recurrat ad Ordinarium Miſſarum de Tempore, vel de Sanctis, ſecundùm qualitatem Officij. Si proprium non habeat, recurrat ad Commune Sanctorum. Si de Feria agendum ſit, & propria Miſſa non fuerit de Feria, dicatur Miſſa præcedentis Dominicæ, omiſſis Gloria in excelſis, & Symbolo: præterquam tempore Paſchali, in quo ſemper dicitur Gloria in excelſis, vt ſuprà, excepta Miſſa Rogationum: & in Aduentu prætermittitur Alleluia poſt Graduale; cum ſuo Verſu. Si dicenda ſit Miſſa Votiua, requiratur poſt Commune Sanctorum ſuo loco. Si plures Orationes dicendæ ſint, requirantur poſt Miſſas Votiuas, ſuo loco de ſingulis rebus ſingulæ. Si pro Defunctis dicenda ſit Miſſa, habetur poſt Miſſas Votiuas, cum Collectis diuerſis, circa finem Miſſalis. Ordo totius Miſſæ, cum Præfationibus, Canone, & aliis dicendis, habetur ſuo loco, cum Proprio Miſſarum de Tempore.

## De Hora celebrandi Miſſam. XV.

1 MIſſa priuata ſaltem poſt Matutinum & Laudes quacumque hora ab aurora vſque ad meridiem dici poteſt.

2 *Miſſa autem Conuentualis & ſolemnis ſequenti ordine dici debet. In Feſtis Duplicibus, & Semiduplicibus, in Dominicis, & infra Octauas, dicta in Choro Hora Tertia. In Feſtis Simplicibus, & Ferijs per annum, dicta Sexta. In Aduentu, Quadrageſima, Quatuor Temporibus, etiam infra Octauam Pentecoſtes, & Vigilijs quæ ieiunantur, quamuis ſint dies ſolemnes, Miſſa de Tempore debet cantari poſt Nonam.*

3 *Miſſa autem Defunctorum dici debet poſt Primam diei: vbi verò dicuntur eorum Vigiliæ manè poſt Matutinum diei, dictis huiuſmodi Vigilijs cum Laudibus, immediatè dici poteſt Miſſa pro Defunctis. Sed in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum Miſſa Conuentualis dicitur poſt Nonam, quia eo die eſt principalis.*

*In die etiam Depoſitionis Defuncti, vel Tertio, Septimo, Trigeſimo, aut Anniuerſario ſolemni, in quo fit concurſus populi, poterit ſimiliter dici vltimo loco poſt Nonam.*

4 *Excipiuntur ab hoc ordine dicendi Miſſam Conuentualem, Miſſa in Natiuitate Domini: quarum prima dicitur poſt mediam noctem, finito* Te Deum laudamus *in Matutino; ſecunda in aurora; dictis Laudibus & Prima; tertia verò in die poſt Tertiam, vel vbi aliter ex diſpenſatione Apoſtolica diſponatur.*

5 *Miſſæ Votiuæ, quia non correſpondent Officio, ſi ſolemniter celebrentur pro re graui, vel publica Eccleſiæ cauſa, cum populi frequentia, dicantur poſt Nonam.*

## De his quæ clara voce aut ſecretò dicenda ſunt in Miſſa. XVI.

1 IN Miſſa priuata clara voce dicuntur Antiphona & Pſalmus ad Introitum, Confeſſio & quæ ſequuntur, excepta Oratione Aufer à nobis, & Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, &c. Item Introitus, Kyrie eleïſon, Gloria in excelſis, Dominus vobiſcum, Oremus, Flectamus genua, Leuate, Oratio, vel Orationes, Prophetiæ, Epiſtola, Graduale, Verſus, Tractus, Sequentia, Euangelium, Credo, Offertorium, Orate fratres, ſolùm hæc duo verba, Præfatio, Nobis quoque peccatoribus, ſolùm hæc tria verba. Item Per omnia ſæcula ſæculorum, &c. cum Pater noſter, Per omnia ſæcula ſæculorum, Pax Domini, Agnus Dei, Domine non ſum dignus, hæc quatuor verba tantùm, Communio, Oratio, vel Orationes poſt Communionem, Humiliate capita veſtra Deo, Ite Miſſa eſt, vel Benedicamus Domino vel Requieſcant in pace, Benedictio, & Euangelium, In principio, vel aliud Euangelium. Alia omnia dicuntur ſecretò.

2 Sacerdos autem maximè curare debet, vt ea quæ clara voce dicenda ſunt, diſtinctè & appoſitè proferat; non admodum feſtinanter, vt aduertere poſſit quæ legit; nec nimis moroſè, ne audientes tædio afficiat: neque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios, qui fortaſſe in eadem Eccleſia tunc temporis celebrant; neque tam ſubmiſſa, vt à circumſtantibus audiri non poſſit; ſed mediocri & graui, quæ & deuotionem moueat, & audientibus ita ſit accommodata, vt quæ leguntur, intelligant. Quæ verò ſecretè dicenda ſunt, ita pronuntiet, vt & ipſemet ſe audiat, & à circumſtantibus non audiatur.

3 *In Miſſa ſolemni quando dici debent à Celebrante* Gloria in excelſis, *&* Credo *intonantur & cantantur* Dominus vobiſcum, *& Orationes ante Epiſtolam,* Dominus vobiſcum, Oremus, *ante Orationes & ante Offertorium,* Præfatio, Per omnia ſæcula ſæculorum *cum* Pater noſter, Per omnia ſæcula ſæculorum, *cum* Pax Domini, *&* Orationes poſt Communionem. *Alia quæ in Miſſa priuata dicuntur clara voce, in Miſſa ſolemni à Celebrante dicuntur ſubmiſſa voce.*

## De ordine genuflectendi, ſedendi & ſtandi in Miſſa priuata, & ſolemni. XVII.

1 IN Miſſa priuata Sacerdos genuflectit quando legit Euangelium S. Ioannis, In principio, ad illa verba, Et Verbum caro factum eſt, & in

Euan-

Euangelio Epiphaniæ, Cùm natus eſſet Ieſus, ad illa verba, Et procidentes adorauerunt eum. Item in Euangelio Feriæ iiij. poſt Dominicam quartam Quadrageſimæ, ad illa verba in fine, Et procidens adorauit eum. Item genuflectit Dominica Palmarum, & in Miſſis de Cruce, ad illa verba in Epiſtola, In nomine Ieſu omne genuflectatur, &c. & quando legitur Paſſio, ad illa verba, expirauit, vel emiſit ſpiritum; vt ſuis locis notatur. Item genuflectit cùm dicit, Flectamus genua. Item quando in Quadrageſima dicit in Tractu ℣. Adiuua nos Deus, &c. & in omnibus Miſſis de Spiritu ſancto, cùm dicit ℣. Veni ſancte Spiritus, reple, &c. Item quando Sacramentum in Altari diſcoopertum apparet, genuflectit quoties ante illud tranſit in medio Altaris: & quandocumque in Ordine Miſſæ, & in ritu ſeruando in celebratione Miſſæ notatur quòd debeat genuflectere.

2 Circumſtantes autem in Miſſis priuatis ſemper genua flectunt, etiam tempore Paſchali, præterquam dum legitur Euangelium.

3 *In Miſſa ſolemni Celebrans genuflectit ad omnia ſupradicta, præterquam ad* Flectamus genua: *& tunc ipſe ſolus ſtat, Diaconus verò & Subdiaconus, & omnes alij genuflectunt. Ad Verſum verò,* Adiuua nos Deus, *&c. & ad Verſum,* Veni ſancte Spiritus, *&c. genuflectit uſque ad finem. Item genuflectit in die Annuntiationis B. Mariæ, & in tribus Miſſis Natiuitatis Domini, quando cantatur in Choro,* Et incarnatus eſt, *&c. Alijs diebus ſi ſedeat cùm cantantur ea verba, non genuflectit, ſed caput tantùm profundè inclinat apertum: ſi non ſedet, genuflectit.*

4 *Miniſtri ſemper genuflectunt cum Celebrante, præterquam Subdiaconus tenens librum ad Euangelium, & Acolythi tenentes candelabra, qui tunc non genuflectunt. Et cùm Diaconus cantat illa verba ad quæ eſt genuflectendum, ipſe verſus librum, Celebrans & omnes alij verſus Altare genuflectunt.*

5 *In Choro genuflectitur ab ijs qui non ſunt Prælati ad Confeſſionem cum ſuo Pſalmo. In Miſſis autem Feriarum Aduentus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, & Vigiliarum quæ ieiunantur, ac in Miſſis Defunctorum genuflectunt omnes etiam ad Orationes, & dicto per Celebrantem,* Sanctus, *vſque ad,* Pax Domini, *& ad* Orationes poſt Communionem, *& ſuper populum, excepta Vigilia Paſchæ & Pentecoſtes, ac Natiuitatis Domini, & Quatuor Temporibus Pentecoſtes. Et ſimiliter ab omnibus genuflectitur quando eleuatur Sacramentum.*

6 *In Miſſa item ſolemni Celebrans medius inter Diaconum & Subdiaconum ſedere poteſt à cornu Epiſtolæ iuxta Altare cùm cantatur,* Kyrie eleïſon, Gloria in excelſis, *&* Credo: *alio tempore ad Altare, vel genuflectit, vt ſuprà.*

7 *In Choro non ſedent qui actu cantant; reliqui autem poſſunt ſedere quando Celebrans ſedet, & prætereà dum cantantur* Epiſtola, *&* Prophetiæ, Graduale, Tractus, *vel* Alleluia, *cum* Verſu, *ac* Sequentia, *& ab* Offertorio, *vſque ad incenſationem Chori, & ſi non incenſatur, vſque ad* Præfationem, *& ad* Antiphonam, *quæ dicitur* Communio. *Ad alia ſtant, vel genuflectunt, vt ſuprà.*

## De coloribus Paramentorum. XVIII.

Paramenta Altaris, Celebrantis, & miniſtrorum, debent eſſe coloris conuenientis Officio, & Miſſæ diei, ſecundùm vſum Romanæ Eccleſiæ: quæ quinque coloribus vti conſueuit, Albo, Rubeo, Viridi, Violaceo, & Nigro. 1

Albo colore vtitur à Veſperis Vigiliæ Natiuitatis Domini vſque ad Octauam Epiphaniæ incluſiuè, exceptis feſtis Martyrum, quæ infra eam veniunt. Feria v. in Cœna Domini, & Sabbato ſancto in Officio Miſſæ, & ab illo die vſque ad Sabbatum in Vigilia Pentecoſtes ad Nonam, in Officio de Tempore, præterquam in Miſſa Litaniarum, & Rogationum. In feſto ſanctæ Trinitatis. In feſto Corporis Chriſti. In feſto Transfigurationis Domini. In feſtis beatæ Mariæ virginis, præterquam in benedictione Candelarum, & Proceſſione quæ fit in feſto Purificationis eiuſdem. In feſtis Angelorum. In Natiuitate S. Ioannis Baptiſtæ. In principali feſto S. Ioannis Euangeliſtæ, quod celebratur infra Octauam Natiuitatis Domini. In vtraque Cathedra S. Petri. In feſto S. Petri ad Vincula. In Conuerſione S. Pauli. In feſto omnium Sanctorum. In feſto Confeſſorum Pontificum, & non Pontificum, & Doctorum. In feſtis ſanctarum Virginum non martyrum, & nec virginum nec martyrum. In Dedicatione & conſecratione Eccleſiæ vel Altaris, ac in conſecratione ſummi Pontificis, & in anniuerſario Creationis & Coronationis eiuſdem, & electionis & conſecrationis Epiſcopi. Item per Octauas prædictorum Feſtorum, quæ Octauas habent, quando dicitur Miſſa de Octaua, & in Dominicis infra eas occurrentibus, quando in eis fit Officium de Dominica, præterquam in illis Dominicis, quibus tributus eſt color violaceus. In Miſſis Votiuis ſupradictorum Feſtorum, quocumque tempore dicantur: & in Miſſa pro Sponſo & ſponſa. 2

Rubeo colore vtitur à Vigilia Pentecoſtes in Miſſa vſque ad Sabbatum ſequens finita Nona & Miſſa. In feſtis ſanctæ Crucis. In Decollatione ſancti Ioannis Baptiſtæ. In natali Apoſtolorum Petri & Pauli, & in feſtis aliorum Apoſtolorum (exceptis feſto principali ſancti Ioannis Euangeliſtæ poſt Natiuitatem, & feſtis Conuerſionis S. Pauli, & Cathedræ S. Petri, & eius Vinculorum.) In feſto S. Ioannis ante portam Latinam. In Commemoratione S. Pauli Apoſtoli. In feſtis Martyrum, excepto feſto ſanctorum Innocentium, quando non venerit in Dominica: ſi autem in Dominica venerit, vtitur Rubeo: in eius verò die Octaua ſemper vtitur Rubeo, quocumque die occurrat. In feſtis ſanctarum Virginum martyrum, & Martyrum non virginum. Item per Octauas prædictorum Feſtorum quæ Octauas habent, quando fit de Octaua, & in Dominicis infra eas Octauas occurrentibus, eodem modo vt dictum eſt ſuprà de colore Albo. Item in Miſſis Votiuis ſupradictorum Feſtorum, & in Miſſa pro eligendo ſummo Pontifice. 3

Viridi colore vtitur ab Octaua Epiphaniæ vſ- 4

que ad Septuageſimam, & ab Octaua Pentecoſtes vſque ad Aduentum excluſiuè, in Officio de Tempore, excepta Dominica Trinitatis, vt ſuprà: ac exceptis Dominicis infra Octauas occurrentibus, in quibus color Octauarum ſeruatur: exceptis etiam Vigiliis, & Quatuor Temporibus, vt infrà.

5 Violaceo colore vtitur à prima Dominica Aduentus in primis Veſperis, vſque ad Miſſam Vigiliæ Natiuitatis Domini incluſiuè: & à Septuageſima vſque ad Sabbatum ſanctum ante Miſſam incluſiuè, in Officio de Tempore: excepta Feria quinta in Cœna Domini, in qua vtitur Albo: & Feria ſexta in Paraſceue, in qua vtitur Nigro, vt infrà: & benedictione Cerei in Sabbato ſancto, in qua Diaconus, illius Præfationem dicens, ſolus vtitur Albo: ea autem finita, Violaceo vt priùs. Item in Vigilia Pentecoſtes ante Miſſam, à prima Prophetia vſque ad benedictionem Fontis incluſiuè. In Quatuor Temporibus, & Vigiliis quæ ieiunantur, exceptis Vigilia & Quatuor Temporibus Pentecoſtes. In Miſſa Litaniarum in die S. Marci Euangeliſtæ, & Rogationum, & in Proceſſionibus quæ his diebus fiunt. In feſto SS. Innocentium, quando non venerit in Dominica. In benedictione Candelarum in die Purificationis B. Mariæ, & in benedictione Cinerum, ac Palmarum, & ipſa Dominica in Palmis, & in eorumdem, ac generaliter in omnibus Proceſſionibus: exceptis Proceſſionibus ſanctiſſimi Sacramenti, & quæ fiunt in diebus ſolemnibus, vel pro gratiarum actione. In Miſſis de Paſſione Domini, pro quacumque neceſſitate, Pro peccatis, Ad tollendum ſchiſma, Contra Paganos, Tempore belli, Pro pace, Pro vitanda mortalitate, Pro iter agentibus, & Pro infirmis.

Nigro colore vtitur Feria ſexta in Paraſceue, & in omnibus Officiis & Miſſis Defunctorum.

### De qualitate Paramentorum. XIX.

IN Officio Miſſæ Celebrans ſemper vtitur Planeta ſuper Albam.

*Si autem ſit Epiſcopus, & ſolemniter celebret, ſuper Dalmaticam & Tunicellam.*

*Pluuiali vtitur in Proceſſionibus, & Benedictionibus, quæ fiunt in Altari. Item in Officio Laudum, & Veſperarum, quando ſolemniter dicuntur. Eodem vtitur aſſiſtens Celebranti in Miſſa Pontificali. Item quando Celebrans poſt Miſſam Defunctorum facit in fine Abſolutionem.*

4 *Cùm Celebrans vtitur Pluuiali, ſemper deponit Manipulum; & vbi Pluuiale haberi non poteſt, in Benedictionibus quæ fiunt in Altari, Celebrans ſtat ſine Planeta cum Alba & Stola.*

5 *Dalmatica & Tunicella vtuntur Diaconus & Subdiaconus in Miſſa ſolemni, & Proceſſionibus, & Benedictionibus, quando Sacerdoti miniſtrant.*

6 *In diebus verò ieiuniorum (præterquam in Vigilijs Sanctorum) & in Dominicis & Ferijs Aduentus & Quadrageſimæ, ac in Vigilia Pentecoſtes ante Miſſam (exceptis Dominica* Gaudete, *etiam ſi eius Miſſa infra Hebdomadam repetatur, & Dominica* Lætare, *Vigilia Natiuitatis Domini, Sabbato ſancto in benedictione Cerei, & in Miſſa, ac Quatuor Temporibus Pentecoſtes) item in benedictione Candelarum, & Proceſſionibus in die Purificationis B. Mariæ, & in benedictione Cinerum, ac benedictione Palmarum & Proceſſione: in Cathedralibus & præcipuis Eccleſiis vtuntur Planetis plicatis ante pectus: quam Planetam Diaconus dimittit cùm lecturus eſt Euangelium, eaque tunc ſuper ſiniſtrum humerum ſuper Stolam complicatur: aut ponitur aliud genus Stolæ latioris in modum Planetæ plicatæ; & facta Communione, reſumit Planetam vt priùs. Similiter Subdiaconus dimittit eam cùm lecturus eſt Epiſtolam, quam legit in Alba; & ea finita, oſculataque Celebrantis manu, Planetam reſumit vt priùs.*

*In minoribus autem Eccleſiis, prædictis diebus ieiuniorum Alba tantùm amicti miniſtrant: Subdiaconus cum Manipulo, Diaconus etiam cum Stola ab humero ſiniſtro pendente ſub dextrum.* 7

### De præparatione Altaris, & ornamentorum eius. XX.

ALtare, in quo ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium celebrandum eſt, debet eſſe lapideum, & ab Epiſcopo conſecratum: vel ſaltem ara lapidea, ſimiliter ab Epiſcopo conſecrata, in eo inſerta, quæ tam ampla ſit, vt Hoſtiam, & maiorem partem Calicis capiat. Hoc Altare operiatur tribus mappis ſeu tobaleis mundis, ab Epiſcopo vel alio habente poteſtatem benedictis, ſuperiori ſaltem oblonga, quæ vſque ad terram pertingat, duabus aliis breuioribus, vel vna duplicata. Pallio quoque ornetur, coloris, quoad fieri poteſt, diei feſto vel Officio conuenientis. Super Altare collocetur Crux in medio, & Candelabra ſaltem duo cum candelis accenſis hinc & inde in vtroque eius latere. Ad Crucis pedem ponatur tabella Secretarum appellata. In cornu Epiſtolæ cuſſinus ſupponendus Miſſali: & ab eadem parte Epiſtolæ paretur cereus, ad eleuationem Sacramenti accendendus, parua campanula, ampullæ vitreæ vini & aquæ, cum peluicula & manutergio mundo, in feneſtella ſeu in parua menſa ad hæc præparata. Super Altare nihil omnino ponatur, quod ad Miſſæ ſacrificium, vel ipſius Altaris ornatum non pertineat.

## RITVS SERVANDVS IN CELEBRATIONE MISSÆ.

### De præparatione Sacerdotis celebraturi. I.

SAcerdos celebraturus Miſſam, præuia Confeſſione ſacramentali, quando opus eſt, & ſaltem Matutino cum Laudibus abſoluto, orationi aliquantulùm vacet, & Orationes inferiùs poſitas pro temporis opportunitate dicat. Deinde accedit al locum in Sacriſtia, vel alibi præparatum, vbi paramenta, aliaque ad celebrationem neceſſaria habentur: accipit Miſſale, perquirit Miſſam, perlegit, & ſignacula ordinat ad ea quæ dicturus eſt. Poſteà lauat manus, dicens Orationem inferiùs poſitam. Deinde præparat Calicem (qui debet eſſe vel aureus, 1

vel

vel argenteus, aut ſaltem habere cuppam argenteam intus inauratam, & ſimul cum Patena itidem inaurata, ab Epiſcopo conſecratus:) ſuper eius os ponit purificatorium mundum, & ſuper illud Patenam cum Hoſtia integra, quam leuiter extergit, ſi opus eſt, à fragmentis, & eam tegit parua palla linea, tum velo ſerico; ſuper velo ponit burſam coloris paramentorum, intus habentem Corporale plicatum, quod ex lino tantùm eſſe debet, nec ſerico vel auro in medio intextum, ſed totum album, & ab Epiſcopo, vel alio habente facultatem, ſimul cum palla benedictum.

2 Quibus ita diſpoſitis accedit ad paramenta, quæ non debent eſſe lacera aut ſciſſa, ſed integra, & decenter munda ac pulchra, & ab Epiſcopo item, vel alio facultatem habente, benedicta: vbi calceatus pedibus, & indutus veſtibus ſibi conuenientibus, quarum exterior ſaltem talum pedis attingat; induit ſe, ſi ſit Prælatus ſæcularis, ſupra rochettum, ſi ſit Prælatus regularis, vel alius Sacerdos ſæcularis, ſupra ſuperpelliceum, ſi commodè haberi poſſit, alioquin ſine eo ſupra veſtes communes, dicens ad ſingula ſingulas Orationes inferiùs poſitas.

3 Ac primùm accipiens Amictum circa extremitates & chordulas, oſculatur illud in medio, vbi eſt Crux, & ponit ſuper caput, & mox declinat ad collum, & eo veſtium collaria circumtegens, ducit chordulas ſub brachiis, & circumducens per dorſum, ante pectus reducit & ligat. Tum Alba induitur, caput ſubmittens, deinde manicam dextram brachio dextro, & ſiniſtram ſiniſtro imponens, Albam ipſam corpori adaptat, eleuat antè, & à lateribus hinc inde, & Cingulo per miniſtrum à tergo ſibi porrecto ſe cingit. Miniſter eleuat Albam ſuper Cingulum circumcircà, vt honeſtè dependeat, & tegat veſtes; ac eius fimbrias diligenter aptat, vt ad latitudinem digiti vel circiter ſuper terram æqualiter fluat. Sacerdos accipit Manipulum, oſculatur Crucem in medio, & imponit brachio ſiniſtro. Deinde ambabus manibus accipiens Stolam, ſimili modo deoſculatur, & imponit medium eius collo, ac tranſuerſando eam ante pectus in modum Crucis, ducit partem à ſiniſtro humero pendentem ad dextram, & partem à dextro humero pendentem ad ſiniſtram. Sicque vtramque partem Stolæ extremitatibus Cinguli hinc inde ipſi Cingulo coniungit.

4 *Si Celebrans ſit Epiſcopus, non ducit Stolam ante pectus in modum Crucis, ſed ſinit hinc inde vtraſque extremitates pendere: & antequam accipiat Stolam, accipit paruam Crucem pectoralem, quam oſculatur, & collo impoſitam ſinit ante pectus chordulis pendere. Manipulum quoque non accipit ante Stolam, niſi in Miſſis Defunctorum, ſed accipit ad Altare, cùm in Confeſſione dicit,* Indulgentiam, *illumque priùs oſculatur.*

Poſtremò Sacerdos accipit Planetam.

5 *Si ſit Epiſcopus, & ſolemniter celebret, accipit paramenta, & alia vt in Cæremoniali.*

## De ingreſſu Sacerdotis ad Altare. II.

1 SAcerdos omnibus paramentis indutus, accipit manu ſiniſtra Calicem vt ſuprà præparatum, quem portat eleuatum ante pectus, burſam manu dextra ſuper Calice tenens, & facta reuerentia Cruci, vel imagini illi quæ in Sacriſtia erit; capite cooperto accedit ad Altare, miniſtro cum Miſſali & aliis ad celebrandum neceſſariis (niſi antè fuerint præparata) præcedente ſuperpelliceum induto. Procedit autem oculis demiſſis, inceſſu graui, erecto corpore. Si verò contigerit eum tranſire ante Altare maius, capite cooperto faciat ad illud reuerentiam: ſi ante locum Sacramenti, genuflectat: ſi ante Altare vbi celebretur Miſſa, in qua eleuatur vel tunc miniſtratur Sacramentum, ſimiliter genuflectat, & detecto capite illud adoret, nec antè ſurgat, quàm Celebrans depoſuerit Calicem ſuper Corporale.

2 Cùm peruenerit ad Altare, ſtans ante illius infimum gradum, caput detegit, biretum miniſtro porrigit; & Altari, ſeu imagini Crucifixi deſuper poſitæ, profundè inclinat. Si autem in eo ſit tabernaculum ſanctiſſimi Sacramenti, genuflectens debitam facit reuerentiam. Tunc aſcendit ad medium Altaris: ibi ad cornu Euangelij ſiſtit Calicem, extrahit Corporale de burſa, quod extendit in medio Altaris, & ſuper illud Calicem velo coopertum collocat, burſam autem ad cornu Euangelij. Si in Altari paramenta accepit, hoc idem facit antequam deſcendat ab Altari vt Miſſam inchoet.

3 Si eſt conſecraturus plures Hoſtias pro Communione facienda, quæ ob quantitatem ſuper Patena manere non poſſint, locat eas ſuper Corporale ante Calicem; aut in aliquo Calice conſecrato, vel vaſe mundo benedicto ponit eas retrò poſt Calicem, & alia Patena ſeu palla cooperit.

4 Collocato Calice in Altari, accedit ad cornu Epiſtolæ, Miſſale ſuper cuſſino aperit, reperit Miſſam, & ſignacula ſuis locis accommodat. Deinde rediens ad medium Altaris, facta primùm Cruci reuerentia, vertens ſe ad cornu Epiſtolæ, deſcendit poſt infimum gradum Altaris, vt ibi faciat Confeſſionem.

5 *In Miſſa ſolemni Miſſale apertum ſuper Altare, Calix verò & alia neceſſaria præparentur in Credentia cooperta linteo, antequam Sacerdos veniat ad Altare. Ipſe autem procedit cum Diacono & Subdiacono, qui capite cooperto ſimul cum eo tenent manus iunctas ante pectus; Acolythi verò ante eos deferunt candelabra cum candelis accenſis, quæ deinde collocantur ſuper Credentia: & cùm peruenerit ante infimum gradum Altaris, ibi medius inter Diaconum à dextris, & Subdiaconum à ſiniſtris, antequam aſcendat ad Altare, facit cum ipſis (vt infrà) Confeſſionem.*

6 *In Miſſa Pontificali omnia ſeruentur, vt in Cæremoniali ordinatur: cuius ordinem Epiſcopus numquam prætermittat, quandocumque cum Diacono & Subdiacono paratis celebrat.*

## De principio Miſſæ, & Confeſſione facienda. III.

1 SAcerdos cùm primùm deſcenderit ſub infimum gradum Altaris, conuertit ſe ad ipſum Altare; vbi ſtans in medio, iunctis manibus ante pectus, extenſis & iunctis pariter digitis, & pollice dextro ſuper ſiniſtrum poſito in modum Crucis (quod ſemper ſeruatur quando iunguntur

manus, præterquam poſt conſecrationem) detecto capite, facta priùs Cruci vel Altari profunda reuerentia, vel, ſi in eo ſit tabernaculum ſanctiſſimi Sacramenti, facta genuflexione, erectus incipit Miſſam.

2 *Si celebraturus ſit coram ſummo Pontifice, ſiſtit ſe ante infimum gradum Altaris à cornu Euangelij ante ipſum Pontificem, vbi genuflexus expectat: accepta benedictione erigit ſe, & ſtans aliquantùm verſus ad Altare, incipit Miſſam. Si autem ſit coram Cardinale, Legato Sedis Apoſtolicæ, aut Patriarcha, Archiepiſcopo, & Epiſcopo, in eorum reſidentijs, vel loco iuriſdictionis, ſtans ante infimum gradum à cornu Euangelij vt ſuprà expectat: dato ſigno facit profundam reuerentiam Prælato, & verſus ad Altare incipit Miſſam.*

3 *Si autem ſolemniter celebrat coram ſummo Pontifice, aut alio ex Prælatis prædictis in Eccleſijs eorum iuriſdictionis, ſtans à ſiniſtris Prælati, facit cum eo Confeſſionem, & alia ſeruat, vt in Cæremoniali ordinatur.*

4 Stans igitur Celebrans ante infimum gradum Altaris, vt ſuprà, producens manu dextra à fronte ad pectus ſignum Crucis, dicit intelligibili voce, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen. Et poſtquam id dixerit, non debet aduertere quemcumque in alio Altari celebrantem, etiam ſi Sacramentum eleuet, ſed continuatè proſequi Miſſam ſuam vſque ad finem: *Quod item obſeruatur in Miſſa ſolemni, & ſimul etiam à miniſtris.*

5 Cùm ſeipſum ſignat, ſemper ſiniſtram ponit infra pectus: in aliis benedictionibus cùm eſt ad Altare, & benedicit oblata, vel aliquid aliud, ponit eam ſuper Altare, niſi aliter notetur. Seipſum benedicens, vertit ad ſe palmam manus dextræ, & omnibus illius digitis iunctis & extenſis, à fronte ad pectus, & ab humero ſiniſtro ad dextrum, ſignum Crucis format. Si verò alios, vel rem aliquam benedicit, paruum digitum vertit ei cui benedicit; ac benedicendo, totam manum dextram extendit, omnibus illius digitis pariter iunctis & extenſis: quod in omni benedictione obſeruatur.

6 Poſtquam dixerit, In nomine Patris, &c. vt ſuprà; iungens iterùm manus ante pectus, pronuntiat clara voce Antiphonam, Introibo ad Altare Dei. Miniſter retrò poſt eum ad ſiniſtram genuflexus, *& in Miſſa ſolemni miniſtri hinc inde ſtantes proſequuntur,* Ad Deum qui lætificat iuuentutem meam. Deinde Sacerdos eodem modo ſtans incipit, & proſequitur cum miniſtro vel miniſtris alternatim Pſalmum, Iudica me Deus, vſque ad finem, cum Gloria Patri. Quo finito repetit Antiphonam, Introibo cum miniſtris vt ſuprà. Qui Pſalmus numquam prætermittitur, niſi in Miſſis Defunctorum, & in Miſſis de Tempore, à Dominica Paſſionis incluſiuè vſque ad Sabbatum ſanctum excluſiuè: in quibus ſemel tantùm dicta Antiphona, Introibo, cum miniſtris vt ſuprà, Sacerdos ſtatim ſubiungit ℣. Adiutorium noſtrum, &c. vt infrà. Cùm in fine Pſalmi dicit, Gloria Patri, &c. caput Cruci inclinat.

7 Repetita Antiphona, Introibo, dextra manu producens ſignum Crucis à fronte ad pectus, dicit ℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram. Deinde Altari ſe profundè inclinans, iunctis manibus dicit, Confiteor Deo, vt in Ordine Miſſæ: & proſequitur eodem modo ſtans inclinatus, donec à miniſtro vel miniſtris dictum ſit, Miſereatur. Cùm incipitur à miniſtris Confiteor, ſe erigit. Cùm dicit mea culpa, ter pectus dextra manu percutit, ſiniſtra infra pectus poſita.

*Si eſt coram Pontifice, Cardinale, Legato Sedis Apoſtolicæ, vel Patriarcha, Archiepiſcopo, & Epiſcopo, in eorum prouincia, ciuitate, vel diœceſi conſtitutis, vbi dicit,* vobis fratres, *dicat,* tibi pater: *ſimiliter in fine, vbi dicit,* vos fratres, *dicat,* te pater, *quod dicens ſummo Pontifici genuflectit, alijs Prælatis profundè ſe inclinat.* 8

Cùm miniſter & qui interſunt (etiam ſi ibi fuerit ſummus Pontifex) reſpondent, Confiteor, dicunt, tibi pater, & te pater, aliquantùm conuerſi ad Celebrantem. 9

Facta à circumſtantibus Confeſſione, Celebrans ſtans reſpondet, Miſereatur veſtri, &c. Deinde producens manu dextra à fronte ad pectus ſignum Crucis, dicit, Indulgentiam, &c. *& ſi eſt Epiſcopus, accipit manipulum, oſculando illum in medio.* Et ſtans inclinatus iunctis manibus proſequitur, Deus tu conuerſus, & quæ ſequuntur in Ordine Miſſæ, clara voce vſque ad Orationem, Aufer à nobis, &c. & cùm dicit, Oremus, extendit & iungit manus. 10

*Et tunc ſi coram ſummo Pontifice, aut alijs Prælatis vt ſuprà celebret, facta ſummo Pontifici genuflexione, alijs Prælatis profunda reuerentia, accedit ad medium Altaris ante infimum gradum, & ibi incipit ſecretò,* Aufer à nobis, *vt in Ordine Miſſæ.* 11

## De Introitu, Kyrie eleïſon, & Gloria in excelſis. IIII.

DVm dicit, Aufer à nobis, &c. Celebrans iunctis manibus aſcendit ad medium Altaris, & ibi inclinatus, manibuſque item iunctis ſuper eo poſitis, ita vt digiti parui dumtaxat frontem ſeu medium anterioris partis tabulæ ſeu menſæ Altaris tangant, reſiduo manuum inter Altare & ſe retento, pollice dextro ſuper ſiniſtrum in modum Crucis poſito (quæ omnia ſemper obſeruantur cùm manus iunctæ ſuper Altare ponuntur) ſecretò dicit, Oramus te Domine, &c. & cùm dicit, Quorum reliquiæ hîc ſunt, oſculatur Altare in medio, manibus extenſis æqualiter hinc inde ſuper eo poſitis: quod ſemper ſeruatur quando oſculatur Altare: ſed poſt conſecrationem pollices ab indicibus non disiunguntur. In omni etiam deoſculatione ſiue Altaris, ſiue libri, ſiue alterius rei, non producitur ſignum Crucis pollice vel manu ſuper id quod oſculandum eſt. 1

Oſculato Altari accedit ad cornu eius ſiniſtrum, id eſt Epiſtolæ: vbi ſtans verſus Altare, & producens à fronte ad pectus ſignum Crucis, incipit intelligibili voce Introitum Miſſæ, & proſequitur 2

iunctis manibus. Cùm dicit, Gloria Patri, tenens iunctas manus, caput inclinat verſus Crucem. Cùm repetit Introitum, non ſignat ſe vt priùs: & eo repetito, iunctis manibus ante pectus accedit ad medium Altaris, vbi ſtans verſus illud ſimiliter manibus iunctis, dicit eadem voce ter Kyrie eleïſon, ter Chriſte eleïſon, & iterùm ter Kyrie eleïſon, alternatim cum miniſtro. Si miniſter, vel qui interſunt, Celebranti non reſpondeant, ipſe ſolus nouies dicit.

3 Dicto vltimo Kyrie eleïſon, Sacerdos ſtans in medio Altaris, & manus extendens, eleuanſque vſque ad humeros (quod in omni manuum eleuatione obſeruatur) voce prædicta incipit, ſi dicendum ſit, Gloria in excelſis. Cùm dicit, Deo, iungens manus, caput Cruci inclinat: quo erecto, ſtans iunctis manibus ante pectus, proſequitur vſque ad finem. Cùm dicit, Adoramus te: Gratias agimus tibi, & Ieſu Chriſte: Suſcipe deprecationem noſtram & iterùm, Ieſu Chriſte, caput Cruci inclinat. Cùm dicit in fine, Cum ſancto Spiritu, ſeipſum à fronte ad pectus ſignat, interim abſoluens. In gloria Dei Patris, Amen.

4 *In Miſſa ſolemni Sacerdos facta Confeſſione aſcendit cum miniſtris ad medium Altaris: vbi dicto,* Oramus te Domine. *& oſculato Altari, ponit incenſum in Thuribulum, miniſtrante Diacono nauiculam, & Thuriferario Thuribulum. Diaconus parum inclinatus verſus Celebrantem, dicit:* Benedicite Pater reuerende. *& oſculatur cochlear, & manum Celebrantis antè & pòſt. Celebrans ter incenſum ponit in Thuribulum, dicens interim:* Ab illo benedicaris, *& depoſito cochleari, producens manu dextra ſignum Crucis ſuper thus in Thuribulo, illud benedicit. Poſteà Diaconus dimiſſa nauicula, accipit Thuribulum, & dat Celebranti, oſculata priùs catenularum ſummitate, & manu illius dextra: qui facta Cruci profunda reuerentia, eam ter incenſat, nihil dicens: & facta iterùm Cruci reuerentia, incenſat Altare, ter ducens Thuribulum æquali diſtantia, prout diſtribuuntur candelabra, à medio eius vſque ad cornu Epiſtolæ: vbi demiſſa manu, thurificat illius poſtremam partem inferiorem, mox ſuperiorem, bis ducto Thuribulo: & conuerſus ad Altare, eleuans manum incenſat eius planitiem, ſeu menſam in parte anteriori, ter ducens Thuribulum vſque ad medium: vbi facta Cruci reuerentia, procedendo thurificat aliud latus Altaris triplici ductu vſque ad cornu Euangelij: & pariter incenſata inferiori & ſuperiori parte ipſius cornu Euangelij duplici ductu, adhuc ſtans ibidem, eleuat Thuribulum, & ter incenſat ſuperiorem tabulæ partem verſus medium Altaris, vt fecit in cornu Epiſtolæ: deinde manu aliquantùm demiſſa, incenſat anteriorem eius partem ſeu frontem, ter ducens Thuribulum dum procedit à cornu Euangelij vſque ad medium Altaris: & facta Cruci reuerentia incenſat ſimiliter triplici ductu reliquam partem anteriorem vſque ad cornu Epiſtolæ: vbi reddito Thuribulo ipſi Diacono, ab eo ipſe ſolus incenſatur.*

5 *Si verò in Altari fuerint Reliquiæ ſeu Imagines Sanctorum, incenſata Cruce, & facta ei reuerentia, antequam diſcedat à medio Altaris, primùm incenſat eas quæ à dextris ſunt, id eſt à parte Euangelij prope Crucem, bis ducens Thuribulum, & iterùm facta Cruci reuerentia ſimiliter incenſat bis alias quæ ſunt à ſiniſtris, hoc eſt à parte Epiſtolæ: deinde proſequitur incenſationem Altaris vt ſuprà, ter ducens Thuribulum in vnoquoque latere, etiamſi in eo eſſent plures Reliquiæ vel Imagines, ſeu etiam plura vel pauciora candelabra.*

*Si in Altari fuerit tabernaculum ſanctiſſimi Sacramenti,* 6 *accepto Thuribulo antequam incipiat incenſationem, genuflectit; quod item facit quotieſcumque tranſit ante medium Altaris.*

*Diaconus & Subdiaconus hinc inde aſſiſtunt Celebranti cùm incenſat, & cùm tranſeunt ante Crucem,* 7 *ſemper genuflectunt. Deinde Celebrans, Diacono à dextris eius, Subdiacono à dextris Diaconi ſtantibus in cornu Epiſtolæ, legit* Introitum, *&* Kyrie eleïſon. *Cùm verò intonat Hymnum,* Gloria in excelſis Deo, *Diaconus & Subdiaconus, vnus poſt alium, ſtant à tergo Celebrantis: poſteà aſcendunt ad Altare, & hinc inde, Diaconus à dextris, Subdiaconus à ſiniſtris, cum Celebrante Hymnum ſubmiſſa voce proſequuntur vſque ad finem. Quod etiam ſeruatur cùm dicitur* Credo; *& cùm dicitur* Dominus vobiſcum, Oratio, Præfatio, *&* Pater noſter, *Diaconus & Subdiaconus ſimiliter ſtant vnus poſt alterum à tergo Celebrantis.*

## De Oratione. V.

Dicto Hymno, Gloria in excelſis, vel, ſi non 1 ſit dicendus, eo omiſſo, Celebrans oſculatur Altare in medio, manibus hinc inde ſuper eo, vt ſuprà, extenſis, tum illis ante pectus iunctis, & demiſſis ad terram oculis, vertit ſe à ſiniſtro latere ad dextrum verſus populum, hoc eſt, per eam partem quæ reſpicit cornu Epiſtolæ, & extendens ac iungens manus ante pectus, vt priùs, dicit voce prædicta, Dominus vobiſcum: *vel, ſi ſit Epiſcopus,* Pax vobis. *(quod dicitur tantùm hoc loco, quando dictus eſt Hymnus,* Gloria in excelſis.*)* ℟. Et cum ſpiritu tuo. & iunctis vt priùs manibus reuertitur per eamdem viam ad librum, vbi eas extendens & iungens ante pectus, caputque Cruci inclinans, dicit, Oremus. tum extendit manus ante pectus, ita vt palma vnius manus reſpiciat alteram, & digitis ſimul iunctis, quorum ſummitas humerorum altitudinem diſtantiamque non excedat: quod in omni extenſione manuum ante pectus ſeruatur. Stans autem, vt ſuprà, extenſis manibus, dicit Orationem. Cùm dicit, Per Dominum noſtrum. iungit manus, eaſque iunctas tenet vſque ad finem. Si aliter concluditur Oratio, Qui tecum, vel Qui viuis, cùm dicit, in vnitate, iungit manus.

Cùm nominatur nomen IESVS, caput verſus 2 Crucem inclinat: quod etiam facit cùm nominatur in Epiſtola. Et ſimiliter vbicumque nominatur nomen beatæ Mariæ vel Sanctorum, de quibus dicitur Miſſa, vel fit commemoratio: item in Oratione pro Papa, quando nominatur, ſemper caput inclinat, non tamen verſus Crucem. Si plures Orationes ſunt dicendæ, idem in eis, in voce, extenſione manuum, & capitis inclinatione, quod ſuprà dictum eſt, obſeruatur.

Si Altare ſit ad Orientem verſus populum, Ce- 3

lebrans verſa facie ad populum, non verti t humeros ad Altare, cum dicturus eſt, Dominus vobiſcum, Orate fratres, Ite Miſſa eſt. vel daturus benedictionem: ſed oſculato Altari in medio, ibi expanſis & iunctis manibus, vt ſuprà, ſalutat populum, & dat benedictionem.

4 In Quatuor Temporibus, vel aliàs quando dicendæ ſunt plures Orationes cum Prophetiis, dicto Kyrie eleiſon, in medio Altaris, reuertitur ad cornu Epiſtolæ, vbi ſtans ante librum extenſis & iunctis ante pectus manibus, & caput Cruci inclinans, dicit, Oremus, Flectamus genua. & illicò manibus ſuper Altare extenſis, vt ſeipſum ad Altare ſuſtineat, genuflectit, & ſine mora ſurgens, eadem voce miniſtro reſpondente, Leuate, manibus extenſis dicit Orationem, vt ſuprà, & in concluſione eas iungit. Dum autem legit Prophetias, tenet manus ſuper librum vel Altare poſitas, vt mox dicetur de Epiſtola.

5 *In Miſſa ſolemni cùm dicitur,* Dominus vobiſcum, *&* Oratio, *Diaconus & Subdiaconus ſtant retrò poſt Celebrantem.* Flectamus genua, *dicitur à Diacono, à Subdiacono verò,* Leuate. *illo primùm genuflectente, hoc primùm ſurgente; Celebrans verò non genuflectit.*

## De Epiſtola, Graduali, & aliis vſque ad Offertorium. VI.

1 Dictis Orationibus, Celebrans poſitis ſuper librum, vel ſuper Altare manibus, ita vt palmæ librum tangant, vel (vt placuerit) librum tenens, legit Epiſtolam, intelligibili voce, & reſpondetur à miniſtro, Deo gratias. & ſimiliter ſtans eodem modo, proſequitur Graduale, Alleluia, & Tractum ac Sequentiam ſi dicenda ſint. Quibus dictis, Sacerdos ſi priuatim celebret, ipſemet, ſeu miniſter portat librum Miſſalis ad alteram partem Altaris in cornu Euangelij; & dum tranſit ante medium Altaris, caput Cruci inclinat, & Miſſale ſic locat, vt poſterior pars libri reſpiciat ipſum cornu Altaris, & non ad parietem, ſiue ad partem eius contra ſe directam.

2 Locato Miſſali in Altari, Celebrans redit ad medium Altaris, ibique ſtans iunctis manibus ante pectus, leuatiſque ad Deum oculis, & ſtatim demiſſis, tum profundè inclinatus, dicit ſecretò, Munda cor meum, & Iube Domine benedicere, Dominus ſit in corde meo, vt in Ordinario. Quibus dictis vadit ad librum Miſſalis, vbi ſtans verſus illum iunctis manibus ante pectus, dicit intelligibili voce, Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Deinde pollice dextræ manus ſigno Crucis ſignat, primò librum ſuper principio Euangelij, quod eſt lecturus, poſteà ſeipſum in fronte, ore, & pectore, dicens, Sequentia, vel, Initium ſancti Euangelij, &c. ℟. Gloria tibi Domine. Tum iunctis iterùm manibus ante pectus, ſtans vt ſuprà, proſequitur Euangelium vſque ad finem. Quo finito, miniſter ſtans in cornu Epiſtolæ poſt infimum gradum Altaris, reſpondet, Laus tibi Chriſte. & Sacerdos eleuans parumper librum, oſculatur principium Euangelij, dicens: Per Euangelica dicta, &c. præterquam in Miſſis Defunctorum, & niſi celebret coram ſummo Pontifice, Cardinali, & Legato Sedis Apoſtolicæ, vel Patriarcha, Archiepiſcopo, & Epiſcopo, in eorum reſidentiis; quo caſu defertur cuilibet prædictorum oſculandus liber, & Celebrans tunc non oſculatur illum, nec dicit, Per Euangelica dicta. Cùm autem nominatur IESVS, caput verſus librum inclinat, & eodem modo verſus librum genuflectit, cùm in Euangelio eſt genuflectendum.

3 Dicto Euangelio ſtans in medio Altaris verſus Crucem, eleuans & extendens manus, incipit (ſi dicendum ſit) Credo. cùm dicit, in vnum Deum, iungit manus, & caput Cruci inclinat: quo erecto, ſtans ibidem iunctis ante pectus manibus, vt priùs, proſequitur vſque ad finem. Cùm dicit, Ieſum Chriſtum, caput Cruci inclinat. Cùm dicit Et incarnatus eſt, vſque ad, Et homo factus eſt, incluſiuè, genuflectit. Cùm dicit, ſimul adoratur, caput Cruci inclinat. Cùm dicit, Et vitam venturi ſæculi, Amen, producit ſibi manu dextra ſignum Crucis à fronte ad pectus.

4 *In Miſſa ſolemni Subdiaconus circa finem vltimæ Orationis accipit ambabus manibus librum Epiſtolarum, deferens illum ſupra pectus, & facta Altari genuflexione in medio, vadit ad partem Epiſtolæ contra Altare, & cantat Epiſtolam, quam etiam Celebrans interim ſubmiſſa voce legit, aſſiſtente ſibi Diacono à dextris, & item Graduale, Tractum, &c. vſque ad* Munda cor meum. *Epiſtola cantata, Subdiaconus facit iterùm genuflexionem Altari in medio, ac redit ad Celebrantem, & genuflectens oſculatur eius manum, & ab eo benedicitur, præterquam in Miſſis Defunctorum.*

5 *Poſteà idem Subdiaconus accipit Miſſale Celebrantis, defert ad cornu Euangelij in Altari, & ibi miniſtrat Celebranti: qui in medio Altaris ſubmiſſa voce dicto* Munda cor meum, *&c. & deinde lecto Euangelio, quod in fine non oſculatur, delato etiam per Diaconum libro Euangeliorum ad Altare, imponit incenſum in Thuribulum. Poſteà Diaconus genuflexus ante Altare dicit,* Munda cor meum, *& accipiens librum Euangeliorum de Altari, petit benedictionem à Celebrante ſimiliter genuflexus in ſuperiori gradu Altaris: & oſculata illius manu, præcedentibus Thuriferario & duobus Acolythis cum candelabris accenſis de Credentia ſumptis, vadit cum Subdiacono à ſiniſtris ad locum Euangelij contra Altare verſus populum, vbi Subdiacono librum tenente, medio inter duos Acolythos tenentes candelabra accenſa dicit,* Dominus vobiſcum, *iunctis manibus. Cùm dicit* Sequentia, *&c. ſignat librum in principio Euangelij, frontem, os, & pectus: poſteà ter librum incenſat, hoc eſt, in medio, à dextris, & à ſiniſtris, & proſequitur Euangelium iunctis manibus. Interim Celebrans poſt datam Diacono benedictionem retrahens ſe ad cornu Epiſtolæ, ibi ſtat iunctis manibus. Et cùm Diaconus dicit,* Sequentia ſancti Euangelij, *Sacerdos etiam ſignat ſe: & cùm nominatur* IESVS, *caput inclinat verſus Altare. Finito Euangelio Sacerdos oſculatur librum à Subdiacono ſibi delatum, dicens,* Per Euangelica dicta, *&c. & à Diacono ter*

*incenſatur. Si ſit coram Prælato in ſua reſidentia, liber defertur ad Prælatum, vt ſuprà, & ille incenſatur, vt in Cæremoniali. Poſteà ſtans in medio Altaris verſus ad Crucem, incipit, ſi dicendum ſit,* Credo, *ſtantibus poſt eum Diacono & Subdiacono: deinde ad Altare accedentibus, & cum eo proſequentibus, vt dictum eſt ad* Gloria in excelſis.

6 *Si autem ſit prædicandum, Concionator finito Euangelio prædicet, & ſermone ſiue concione expleta, dicatur* Credo, *vel, ſi non ſit dicendum, cantetur* Offertorium.

7 *Cùm verò in Symbolo cantatum fuerit,* Et incarnatus eſt, *Diaconus accepta burſa de Credentia, ambabus manibus eam defert eleuatam cum ſolitis reuerentiis ad medium Altaris, in quo explicat Corporale, & reuertitur ad Celebrantem. Cùm non dicitur* Credo, *Subdiaconus defert burſam ſimul cum Calice, vt infrà dicetur.*

8 *Si quandoque Celebrans cantat Miſſam ſine Diacono & Subdiacono,* Epiſtolam *cantat in loco conſueto aliquis Lector ſuperpelliceo indutus, qui in fine non oſculatur manum Celebrantis:* Euangelium *autem cantat ipſe Celebrans ad cornu Euangelii, qui & in fine Miſſæ cantat* Ite Miſſa eſt, *vel* Benedicamus Domino, *aut* Requieſcant in pace, *pro temporis diuerſitate.*

## De Offertorio, & aliis vſque ad Canonem. VII.

1 DIcto Symbolo, vel, ſi non ſit dicendum, poſt Euangelium Celebrans oſculatur Altare in medio, & iunctis manibus ante pectus, ibidem à manu ſiniſtra ad dextram (vt dictum eſt ſuprà) vertit ſe ad populum, & extendens ac iungens manus dicit, Dominus vobiſcum. & iunctis manibus reuertitur per eamdem viam ad medium Altaris, vbi extendens & iungens manus, capitque Cruci inclinans, dicit Oremus. tum iunctis vt priùs manibus dicit Offertorium: & omnia quæ vſque ad finem Miſſæ in medio Altaris dicenda ſunt, dicit ibidem ſtans verſus ad Altare, niſi vbi aliter ordinatur.

2 Dicto Offertorio, diſcooperit Calicem, & ad cornu Epiſtolæ ſiſtit; & manu dextra amouet paruam pallam deſuper Hoſtiam, accipit Patenam cum Hoſtia, & ambabus manibus vſque ad pectus eam eleuatam tenens, oculis ad Deum eleuatis, & ſtatim demiſſis, dicit, Suſcipe ſancte Pater, &c.

3 Si fuerint aliæ Hoſtiæ non ſuper Patenam, ſed ſuper Corporale, vel in alio Calice ſeu vaſe pro Communione populi conſecrandæ, Calicem illum ſeu vas dextra diſcooperit, & intentionem ſuam etiam ad illas offerendas & conſecrandas dirigens, dicit vt ſuprà, Suſcipe, &c. vt in Ordine Miſſæ. Quo dicto, Patenam vtraque manu tenens, cum ea facit ſignum Crucis ſuper Corporale, & deponit Hoſtiam circa medium anterioris partis Corporalis ante ſe, & Patenam ad manum dextram aliquantulùm ſubtus Corporale; quam, extenſo Calice, vt dicetur, cooperit purificatorio. Si autem abſit vas ſeu calix cum aliis Hoſtiis, ipſum cooperit alia Patena, vel palla.

Deinde in cornu Epiſtolæ accipit Calicem, puri- 4
ficatorio extergit, & ſiniſtra tenens illius nodum, accipit ampullam vini de manu miniſtri (qui oſculatur ipſam ampullam, non autem manum Celebrantis) & ponit vinum in Calicem. Deinde eodem modo tenens Calicem, producit ſignum Crucis ſuper ampullam aquæ, & dicit, Deus qui humanæ ſubſtantiæ: & infundens parum aquæ in Calice proſequitur, Da nobis per huius aquæ & vini myſterium, &c. Si verò celebrat pro Defunctis, non facit ſignum Crucis ſuper aquam, ſed imponit abſque benedictione, dicens Orationem, vt ſuprà.

Impoſita aqua in Calice, & finita Oratione præ- 5
dicta, accipit manu dextra Calicem diſcoopertum; & ſtans ante medium Altaris, ipſum ambabus manibus eleuatum tenens, videlicet cum ſiniſtra pedem, cum dextra autem nodum infra cuppam, intentis ad Deum oculis offert, dicens, Offerimus tibi Domine, &c. qua Oratione dicta, facit ſignum Crucis cum Calice ſuper Corporale, & ipſum in medio poſt Hoſtiam collocat, & palla cooperit. Deinde iunctis manibus ſuper Altare poſitis, aliquantulum inclinatus dicit ſecretò, In ſpiritu humilitatis, &c. Poſteà erectus, eleuans oculos, manuſque expandens, & ſtatim iungens ante pectus (quod ſemper facit quando aliquid eſt benedicturus) dicit, Veni ſanctificator, &c. cùm dicit, & benedic, ſignat manu dextra communiter ſuper Hoſtiam & Calicem, ſiniſtra poſita ſuper Altare.

Tunc iunctis ante pectus manibus, accedit ad 6
cornu Epiſtolæ, vbi ſtans, miniſtro aquam fundente lauat manus, id eſt, extremitates digitorum pollicis & indicis, dicens Pſalmum, Lauabo inter innocentes, cum Gloria Patri, &c. qui Verſus Gloria Patri, prætermittitur in Miſſis Defunctorum, & in Miſſis de Tempore à Dominica de Paſſione vſque ad Sabbatum ſanctum excluſiuè.

Celebrans lotis manibus eas tergit, & illis ante 7
pectus iunctis reuertitur ad medium Altaris, vbi ſtans, oculoſque ad Deum eleuans, & ſtatim demittens, manibus iunctis ſuper Altare, aliquantulùm inclinatus dicit ſecretò Orationem, Suſcipe ſancta Trinitas, &c. Qua dicta, manibus hinc inde extenſis, & ſuper Altare poſitis, oſculatur illud in medio: tum iunctis manibus ante pectus, demiſſiſque oculis ad terram, à ſiniſtra manu ad dextrám vertit ſe ad populum, & verſus eum extendens & iungens manus, dicit voce aliquantulùm elata, Orate fratres, & ſecretò proſequens, vt meum ac veſtrum ſacrificium, &c. perficit circulum, reuertens iunctis manibus ante pectus à manu dextra ad medium Altaris. Et reſponſo à miniſtro vel à circumſtantibus, Suſcipiat Dominus ſacrificium de manibus tuis, &c. (alioquin per ſeipſum, dicens, Sacrificium de manibus meis.) ipſe Celebrans ſubmiſſa voce dicit, Amen. & manibus ante pectus extenſis, vt fit ad Orationem, ſtans in medio Altaris verſus librum dicit abſolutè ſine Oremus, & ſine alia interpoſitione Orationem, vel Orationes ſecretas. Cùm dicit, Per Dominum, iungit manus: cùm dicit, Ieſum Chriſtum, caput inclinat: quod facit in prima Oratione, & in vltima, ſi plures ſint dicendæ.

8 Peruento autem in concluſione vltimæ Secretæ ad verba illa, Per omnia ſæcula ſæculorum, excluſiuè, Sacerdos ſtans in medio Altaris, depoſitis ſuper eo manibus hinc inde extenſis, dicit conuenienti & intelligibili voce Præfationem. Cùm dicit, Surſum corda eleuat manus hinc inde extenſas vſque ad pectus, ita vt palma vnius manus reſpiciat alteram. Cùm dicit, Gratias agamus Domino, iungit manus: cùm dicit, Deo noſtro, oculos eleuat, & ſtatim Cruci caput inclinat. Reſponſo, Dignum & iuſtum eſt, eleuatis, & extenſis vt priùs manibus, proſequitur Præfationem propriam, vel communem, vt tempus requirit. Cùm dicit, Sanctus, iunctis ante pectus manibus, & inclinatus, voce mediocri proſequitur; miniſtro interim paruam campanulam pulſante. Cùm dicit, Benedictus qui venit in nomine Domini, &c. erigit ſe, & ſignum crucis ſibi producit à fronte ad pectus.

9 *In Miſſa ſolemni dicto* Oremus, *Diaconus & Subdiaconus accedunt ad Altare in cornu Epiſtolæ, Diaconus amouet Calicem, ſi eſt in Altari, vel, ſi eſt in Credentia, vt magis decet, accipit eum de manu Subdiaconi; qui illum cum Patena & Hoſtia, coopertum palla & velo à collo ſibi pendente, manu ſiniſtra tenens, & alteram manum ſuperponens velo, ne aliquid decidat, de Credentia detulit, comitatus ab Acolytho ampullas vini & aquæ portante: ipſe Diaconus Calicem detegit, & dat Patenam cum Hoſtia Celebranti, oſculando eius manum: Subdiaconus extergit Calicem purificatorio, Diaconus accepta ampulla vini de manu Subdiaconi, imponit vinum in Calice; Subdiaconus interim ampullam aquæ oſtendens Celebranti, dicit,* Benedicite pater reuerende, *qui facto verſus eam ſigno Crucis, dicit Orationem,* Deus qui humanæ, *&c. interim Subdiaconus infundit paulum aquæ in Calicem; Diaconus illum Celebranti dat, & pedem Calicis tangens, ſeu brachium dextrum Celebrantis ſuſtentans, cum eo dicit,* Offerimus tibi Domine, *&c. quem poſteà poſitum in Altari vt ſuprà, palla cooperit. Subdiacono deinde ſtanti in cornu Epiſtolæ ponit in dextra manu Patenam, quam cooperit extremitate veli ab eius humero pendentis: qui vadit poſt Celebrantem ante medium Altaris, & facta genuflexione ibi ſtat, ſuſtinens eam eleuatam vſque ad finem Orationis Dominicæ, vt dicetur. In Miſſis autem Defunctorum, & in Feria ſexta Paraſceues, Patena non tenetur à Subdiacono.*

10 *Dicto,* Veni ſanctificator, *vt ſuprà, Celebrans, miniſtrante Diacono nauiculam, & dicente,* Benedicite pater reuerende, *ponit incenſum in Thuribulum, dicens,* Per interceſſionem, *&c. vt in Ordine Miſſæ. Deinde accepto Thuribulo per manum Diaconi, nullam tunc faciens Cruci reuerentiam, incenſat oblata, ter ducens Thuribulum ſuper Calicem & Hoſtiam ſimul in modum Crucis, & ter circum Calicem & Hoſtiam, ſcilicet bis à dextra ad ſiniſtram, & ſemel à ſiniſtra ad dextram (Diacono interim pedem Calicis tenente manu dextra) diſpenſans verba in qualibet incenſatione hoc modo. In prima incenſatione,* Incenſum iſtud, *in ſecunda,* à te Benedictum, *in tertia,* aſcendat ad te Domine, *in quarta,* & deſcendat ſuper nos, *in quinta & ſexta,* miſericordia tua. *Deinde facta reuerentia, incenſat Crucem & Altare, vt dictum eſt ſuprà, aſſiſtente eodem Diacono, interim dicens,* Dirigatur Domine oratio mea, *&c. & cùm incenſatur Crux, Diaconus amouet Calicem ad partem Epiſtolæ, & incenſata Cruce reponit in loco ſuo. Cùm reddit Thuribulum Diacono, dicit,* Accendat in nobis, *&c. & incenſatur ab eo: deinde Diaconus incenſat Chorum, & poſtremò Subdiaconum tenentem Patenam: & ipſe Diaconus incenſatur à Thuriferario, & Thuriferarius poſteà incenſat Acolythos & populum. Celebrans poſtquam incenſatus fuerit, lauat manus, miniſtrantibus Acolythis ampullam aquæ cum peluicula & manutergio.*

11 *Cùm dicitur* Præfatio, *Diaconus & Subdiaconus ſtant retrò poſt Celebrantem: & paulò antequam dicatur* Sanctus, *accedunt ad Altare, vbi cum Celebrante hinc inde dicunt* Sanctus, *& quæ ſequuntur vſque ad* Canonem. *Deinde Diaconus accedit ad ſiniſtram Celebrantis, ei aſſiſtens dum dicitur* Canon, *niſi alius Sacerdos aſſiſtat; quia tunc ipſe ſtaret ad dextram aliquantùm poſt Celebrantem. Subdiaconus verò tunc ſtat poſt Celebrantem.*

## De Canone Miſſæ vſque ad Conſecrationem.

## VIII.

1 Finita Præfatione vt ſuprà, Sacerdos ſtans ante medium Altaris, verſus ad illud aliquantulùm eleuat manus, oculíſque eleuatis ad Deum, & ſine mora deuotè demiſſis, ac manibus iunctis, & ſuper Altare poſitis, profundè inclinatus incipit Canonem, ſecretò dicens: Te igitur, &c. vt in Ordine Miſſæ. Cùm dicit, vti accepta habeas & benedicas, priùs oſculatur Altare in medio, deinde erigit ſe, & ſtat iunctis manibus ante pectus. Cùm dicit, Hæc ✠ dona, hæc ✠ munera, hæc ſancta ✠ ſacrificia, dextera manu ſignat ter communiter ſuper Hoſtiam & Calicem. Deinde extenſis manibus ante pectus, proſequitur, In primis quæ tibi offerimus, &c.

2 Vbi dicit, vnà cùm famulo tuo Papa noſtro N. exprimit nomen Papæ: Sede autem vacante verba prædicta omittuntur. Vbi dicitur, & Antiſtite noſtro N. ſpecificatur nomen Patriarchæ, Archiepiſcopi, vel Epiſcopi ordinarij in propria diœceſi, & non alterius Superioris, etiam ſi Celebrans ſit omnino exemptus, vel ſub alterius Epiſcopi iuriſdictione. Si verò Epiſcopus ordinarius illius loci, in quo Miſſa celebratur, ſit vita functus, prædicta verba omittuntur: quæ etiam omittuntur ab iis qui Romæ celebrant. Si Celebrans eſt Epiſcopus, Archiepiſcopus, vel Patriarcha, miſſis prædictis verbis, eorum loco dicit, Et me indigno ſeruo tuo. Summus autem Pontifex cùm celebrat, omiſſis verbis vnà cum famulo tuo Papa noſtro N. & Antiſtite noſtro N. dicit, vnà cum me indigno famulo tuo, quem gregi tuo præeſſe voluiſti. Et continuant omnes vt ſequitur, Et omnibus orthodoxis, &c.

3 Cùm dicit, Memento Domine, eleuans & iungens manus vſque ad faciem vel pectus, ſic iunctis manibus ſtat pauliſper in quiete, demiſſo aliquantulùm capite, faciens commemorationem

viuorum Chriſti fidelium ad ſuam voluntatem; quorum nomina, ſi vult, ſecretò commemoret: non tamen neceſſe eſt ea exprimere, ſed mentet tantùm eorum memoriam habeat. Poteſt etiam Celebrans, ſi pro pluribus orare intendit, ne circumſtantibus ſit moroſus, ante Miſſam in animo proponere ſibi omnes illos tam viuos quàm defunctos, pro quibus in ipſa Miſſa orare intendit, & hoc loco generaliter vnico contextu ipſorum viuorum commemorationem agere, pro quibus ante Miſſam orare propoſuit in Miſſa.

4 Commemoratione viuorum facta, demiſſis & extenſis vt priùs manibus, continuat, Et omnium circumſtantium, &c. Similiter ſtans proſequitur Communicantes. Cùm dicit, Ieſu Chriſti, caput Cruci inclinat: in concluſione quando dicit, Per eumdem, iungit manus. Cùm dicit, Hanc igitur oblationem, expandit manus ſimul ſuper oblata, ita vt palmæ ſint apertæ verſus ac ſupra Calicem & Hoſtiam; quas ſic tenet vſque ad illa verba, Per Chriſtum Dominum noſtrum. Tunc enim iungit manus, & ſic proſequitur, Quam oblationem tu Deus in omnibus quæſumus. & cùm dicit, Bene ✠ dictam, adſcri ✠ ptam, ra ✠ tam communiter ſignat ter ſuper Hoſtiam & Calicem ſimul: deinde cùm dicit, vt nobis corpus, ſeparatim ſignat ſemel ſuper Hoſtiam tantùm: & cùm dicit, & ſanguis: ſemel ſuper Calicem tantùm: deinde eleuans & iungens manus ante pectus, proſequitur, fiat dilectiſſimi Filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti. & inclinans caput Cruci, extergit, ſi opus fuerit, pollices & indices ſuper Corporale, & dicit ſecretò vt priùs, Qui pridie quàm pateretur. & accipiens pollice & indice dextræ manus Hoſtiam, & eam cum illis ac indice & pollice ſiniſtræ manus tenens, ſtans erectus ante medium Altaris, dicit, accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus tuas, eleuanſque ad cælos oculos, & ſtatim demittens, dicit, & eleuatis oculis in cælum ad te Deum Patrem ſuum omnipotentem. caputque aliquantulùm inclinans, dicit, tibi gratias agens: & tenens Hoſtiam inter pollicem & indicem ſiniſtræ manus, dextra producit ſignum Crucis ſuper eam, dicens, bene ✠ dixit, fregit, deditque diſcipulis ſuis, dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes.

5 Si adſit vas cum aliis Hoſtiis conſecrandis, antequam accipiat Hoſtiam, diſcooperit manu dextra Calicem, ſeu vas aliarum Hoſtiarum. Cùm autem finierit ſupradicta verba, cubitis ſuper Altare poſitis, ſtans capite inclinato, diſtinctè, reuerenter, & ſecretò profert verba conſecrationis ſuper Hoſtiam, & ſimul ſuper omnes, ſi plures ſint conſecrandæ, & Hoſtiam ſuam pollicibus & indicibus tantùm tenens, dicit, Hoc eſt enim corpus meum. Quibus prolatis, Celebrans tenens Hoſtiam inter pollices & indices prædictos ſuper Altare, reliquis manuum digitis extenſis & ſimul iunctis (& Hoſtiis, ſi plures ſint conſecratæ, in loco in quo à principio Miſſæ poſitæ ſunt, ſuper Corporali vel in alio vaſe aut Calice dimiſſis) genuflexus eam adorat. Tunc ſe erigens, quantum commodè poteſt, eleuat in altum Hoſtiam, & intentis in eam oculis (quod & in eleuatione Calicis facit) populo reuerenter oſtendit adorandam: & mox ſola manu dextra ipſam reuerenter reponit ſuper Corporale in eodem loco vnde eam leuauit, & deinceps pollices & indices non diſiungit, niſi quando Hoſtiam conſecratam tangere vel tractare debet, vſque ab ablutionem digitorum poſt Communionem.

Repoſita Hoſtia conſecrata ſuper Corporale, genuflexus ipſam veneratur: ſi adſit vas aliarum Hoſtiarum, patena vel palla cooperi vt ſuprà. Interim dum Celebrans eleuat Hoſtiam, accenſo priùs intorticio (quod non extinguitur niſi poſtquam Sacerdos Sanguinem ſumpſerit, vel alios communicauerit, ſi qui erunt communicandi in Miſſà) miniſter manu ſiniſtra eleuat fimbrias poſteriores Planetæ, ne ipſum Celebrantem impediat in eleuatione brachiorum; quod & facit in eleuatione Calicis: & manu dextra pulſat campanulam ter ad vnamquamque eleuationem, vel continuatè quouſque Sacerdos deponat Hoſtiam ſuper Corporale, & ſimiliter poſtmodum ad eleuationem Calicis. 6

Celebrans adorato Sacramento ſurgit, & diſcooperit Calicem; in quem, ſi opus ſit, extergit digitos; quod ſemper faciat, ſi aliquod fragmentum digitis adhæreat; & ſtans erectus dicit, Simili modo poſtquam cœnatum eſt, & ambabus manibus accipiens Calicem iuxta nodum infra cuppam, & aliquantùm illum eleuans, ac ſtatim deponens, dicit, accipiens & hunc præclarum Calicem, &c. cùm dicit, Item tibi gratias agens, caput inclinat: cùm dicit, benedixit, ſiniſtra Calicem infra cuppam tenens, dextra ſignat ſuper eum, & proſequens, deditque diſcipulis ſuis, &c. & ambabus manibus tenens Calicem, videlicet ſiniſtra pedem, dextra nodum infra cuppam, cubitis ſuper Altare poſitis, & capite inclinato, profert attentè, continuatè, & ſecretò, vt ſuprà, verba conſecrationis Sanguinis: Hic eſt enim calix, &c. Quibus dictis reponit Calicem ſuper Corporale, & dicens ſecretò, Hæc quotieſcumque feceritis, &c. genuflexus Sanguinem reuerenter adorat. Tum ſe erigit, & accipiens Calicem diſcoopertum cum Sanguine ambabus manibus, vt priùs, eleuat eum, & erectum, quantum commodè poteſt, oſtendit populo adorandum, mox ipſum reuerenter reponit ſuper Corporale in locum priſtinum, & manu dextra palla cooperit, ac genuflexus Sacramentum veneratur. 7

*In Miſſa ſolemni ad finem Præfationis accenduntur duo ſaltem intorticia ab Acolythis, quæ extinguuntur poſt eleuationem Calicis, niſi aliqui ſint communicandi, & tunc extinguuntur poſt Communionem. In diebus etiam ieiuniorum, & in Miſſis pro Defunctis, tenentur accenſa vſque ad Communionem. Cùm autem Celebrans dicit,* Quam oblationem, *&c. Diaconus accedit ad eius dextram, & ibi in ſuperiori gradu Altaris genuflexus, cùm Sacramentum eleuatur, fimbrias Planetæ eleuat, & quando opus eſt, ſe erigens, Calicem diſcooperit & cooperit, & cum Celebrante genuflectit. Subdiaconus genuflectit in loco ſuo. Thuriferarius genuflexus in cornu Epiſtolæ ter incenſat Hoſtiam, cùm eleuatur.* 8

*& ſimiliter Calicem, poſito incenſo in Thuribulum abſque benedictione. Repoſito Calice, Diaconus redit ad librum, niſi alius aſſiſtat. Ceteri ſurgunt, & ſtant in locis ſuis.*

## De Canone poſt conſecrationem vſque ad Orationem Dominicam. IX.

1 REpoſito Calice, & adorato, Sacerdos ſtans ante Altare, extenſis manibus ante pectus, dicit ſecretò, Vnde & memores, &c. Cùm dicit, de tuis donis ac datis, iungit manus ante pectus: & cùm dicit, Hoſtiam ✠ puram, Hoſtiam ✠ ſanctam, Hoſtiam ✠ immaculatam, manu ſiniſtra poſita ſuper Altare intra Corporale, dextra ſignat ter communiter ſuper Hoſtiam & Calicem, & ſemel ſuper Hoſtiam tantùm, & ſemel ſuper Calicem tantùm, dicens, Panem ✠ ſanctum vitæ æternæ, & Calicem ✠ ſalutis perpetuæ. deinde ſtans vt priùs, extenſis manibus proſequitur, Supra quæ propitio, &c. Cùm dicit, ſupplices te rogamus, &c. inclinat ſe ante medium Altaris, manibus iunctis ſuper illo poſitis. Cùm dicit, ex hac Altaris participatione, oſculatur Altare, manibus hinc inde ſuper Corporale poſitis. Cùm dicit, ſacroſanctum Filij tui, iungit manus: & dextra ſignans ſemel ſuper Hoſtiam tantùm, & ſemel ſuper Calicem, ſiniſtra ſuper Corporale poſita, dicit, Cor ✠ pus, & San ✠ guinem ſumpſerimus: & cùm dicit, omni benedictione ✠ cæleſti, ſeipſum ſignat à fronte ad pectus ſigno Crucis, ſiniſtra poſita infra pectus, & proſequitur, & gratia repleamur. Cùm dicit, Per eumdem, iungit manus.

2 Cùm dicit, Memento Domine famulorum famularumque tuarum, &c. extenſis & iunctis manibus ante pectus, & vſque ad faciem eleuatis, & intentis oculis ad Sacramentum ſuper Altare, facit commemorationem fidelium Defunctorum, de quibus ſibi videtur, eodem modo vt dictum eſt de commemoratione viuorum. Qua commemoratione facta, ſtans vt priùs extenſis manibus proſequitur, Ipſis Domine, & omnibus in Chriſto, &c. & in fine ad Per eumdem, iungit manus, & caput inclinat.

3 Cùm dicit, Nobis quoque peccatoribus, vocem aliquantulùm eleuat, & dextra manu pectus ſibi percutit, ſiniſtra poſita ſuper Corporale, & proſequitur ſecretò, famulis tuis, &c. ſtans manibus extenſis vt priùs. Cùm dicit, Per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas, iungit manus ante pectus: deinde manu dextra ter ſignans communiter ſuper Hoſtiam & Calicem, dicit, ſan ✠ ctificas, viui ✠ ficas, bene ✠ dicis, & præſtas nobis. Poſteà diſcooperit manu dextra Calicem, & genuflexus Sacramentum adorat: tum ſe erigit, & reuerenter accipit Hoſtiam inter pollicem & indicem dextræ manus, & cum ea ſuper Calicem, quem manu ſiniſtra tenet circa nodum infra cuppam, ſignat ter à labio ad labium, dicens, Per ✠ ipſum, & cum ✠ ipſo, & in ✠ ipſo. Et ſimiliter cum Hoſtia ſignat bis inter Calicem & pectus, incipiens à labio Calicis, & dicit, eſt tibi Deo Pa ✠ tri omnipotenti, in vnitate Spiritus ✠ ſancti. Deinde tenens manu dextra Hoſtiam ſuper Calicem, ſiniſtra Calicem, eleuat eum aliquantulùm ſimul cum Hoſtia, dicens, omnis honor & gloria. & ſtatim vtrumque deponens, Hoſtiam collocat ſuper Corporale, &, ſi opus ſit, digitos extergit vt ſuprà; ac pollices & indices vt priùs iungens, Calicem palla cooperit, & genuflexus Sacramentum adorat.

*In Miſſa ſolemni cùm Celebrans dicit,* per quem 4
hæc omnia, *&c. Diaconus facta Sacramento genuflexione, accedit ad dextram Celebrantis, & quando opus eſt, diſcooperit Calicem, & cum Celebrante adorat: ſimiliter cooperit, & iterùm genuflectit. Cùm incipit,* Pater noſter, *idem vadit retrò poſt Celebrantem, facta priùs Sacramento genuflexione, vbi ſtat, dum dicitur Oratio Dominica.*

## De Oratione Dominica, & aliis vſque ad factam Communionem. X.

CElebrans; cooperto Calice, adoratoque Sa- 1
cramento, erigit ſe; & manibus extenſis hinc inde ſuper Altare intra Corporale poſitis dicit intelligibili voce, Per omnia ſæcula ſæculorum. & cùm dicit, Oremus, iungit manus, caput Sacramento inclinans. Cùm incipit, Pater noſter, extendit manus, & ſtans oculis ad Sacramentum intentis, proſequitur vſque ad finem. Reſponſo à miniſtro, Sed libera nos à malo, & à Celebrante ſubmiſſa voce, Amen, manu dextra, pollice & indice non diſiunctis, Patenam aliquantulùm purificatorio extergens, eam accipit inter indicem & medium digitos; quam tenens ſuper Altare erectam, ſiniſtra ſuper Corporale poſita, dicit ſecretò, Libera nos quæſumus, &c.

Antequam Celebrans dicat, Da propitius pa- 2
cem, eleuat manu dextra Patenam de Altari, & ſeipſum cum ea ſignat ſigno Crucis, dicens: Da propitius pacem in diebus noſtris. Cùm ſignat ſe, manum ſiniſtram ponit infra pectus: deinde Patenam ipſam oſculatur, & proſequens, vt ope miſericordiæ tuæ, &c. ſubmittit Patenam Hoſtiæ, quam indice ſiniſtro accommodat ſuper Patenam, diſcooperit Calicem, & genuflexus Sacramentum adorat: tum ſe erigens, accipit Hoſtiam inter pollicem & indicem dextræ manus, & cum illis, ac pollice & indice ſiniſtræ manus eam ſuper Calicem tenens, reuerenter frangit per medium, dicens: Per eumdem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum. & mediam partem, quam inter pollicem & indicem dextræ manus tenet, ponit ſuper Patenam: de alia media, quam ſiniſtra manu tenet, frangit cum pollice & indice dextræ manus particulam, proſequens, Qui tecum viuit & regnat, &c. & eam inter ipſos dextræ manus pollicem & indicem retinens, partem maiorem, quam ſiniſtra tenet, adiungit mediæ ſuper Patenam poſitæ, interim dicens, in vnitate Spiritus ſancti Deus: & particulam Hoſtiæ, quam in dextra manu retinuit, tenens ſuper Calicem, quem ſiniſtra per nodum infra cuppam retinet, intelligibili voce dicit, Per omnia ſæcula ſæcu-

lorum

lorum. ℟. Amen. & cum ipſa particula ſignans ter à labio ad labium Calicis, dicit, Pax Domini ſit ſemper vobiſcum. Reſponſo per miniſtrum, Et cum ſpiritu tuo, particulam, quam dextra manu tenet, immittit in calicem, dicens ſecretò, Hæc commixtio & conſecratio Corporis, &c. Deinde pollices & indices ſuper Calicem aliquantulùm tergit & iungit, Calicem palla cooperit, & genuflexus Sacramentum adorat, ſurgit, & ſtans iunctis manibus ante pectus, capite inclinato verſus Sacramentum, dicit intelligibili voce, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, & dextra percutiens ſibi pectus, ſiniſtra ſuper Corporale poſita, dicit, miſerere nobis. & deinde non iungit manus, ſed iterùm percutit ſibi pectus, cùm dicit ſecundò, miſerere nobis. quod & tertiò facit, cùm dicit, dona nobis pacem.

3 Tunc manibus iunctis ſuper Altare poſitis, oculiſque ad Sacramentum intentis, inclinatus dicit ſecretò, Domine Ieſu Chriſte, &c. Qua Oratione finita, ſi eſt daturus pacem, oſculatur Altare in medio, & inſtrumentum pacis ei porrectum à miniſtro iuxta ipſum ad dextram, hoc eſt, in cornu Epiſtolæ genuflexo, & dicit, Pax tecum. Miniſter reſpondet, Et cum ſpiritu tuo. Si non adſit qui huiuſmodi inſtrumento pacem recipiat à Celebrante, pax non datur, etiam ſi illius datio Miſſæ conueniat: nec oſculatur Altare, ſed dicta præmiſſa Oratione, ſtatim ſubiungit alias Orationes, vt in Ordine Miſſæ.

4 Si verò celebret pro Defunctis, non percutit pectus ad Agnus Dei, quia dicit, dona eis requiem. nec dicit primam Orationem, Domine Ieſu Chriſte, qui dixiſti Apoſtolis tuis, &c. non dat pacem, ſed dicit alias duas ſequentes Orationes, Domine Ieſu Chriſte Fili Dei viui, & Perceptio Corporis tui. Quibus Orationibus dictis, genuflectens Sacramentum adorat, & ſe erigens dicit ſecretò, Panem cæleſtem accipiam, &c. quo dicto dextra manu accipit de Patena reuerenter ambas partes Hoſtiæ, & collocat inter pollicem & indicem ſiniſtræ manus, quibus Patenam inter eumdem indicem & medium digitos ſupponit, & eadem manu ſiniſtra tenens partes huiuſmodi ſuper Patenam inter pectus & Calicem, parum inclinatus, dextra tribus vicibus percutit pectus ſuum, interim etiam tribus vicibus dicens voce aliquantulùm eleuata, Domine non ſum dignus, & ſecretò proſequitur, vt intres, &c. Quibus tertiò dictis, ex ſiniſtra accipit ambas partes prædictas Hoſtiæ inter pollicem & indicem dextræ manus, & cum illa ſupra Patenam ſignat ſeipſum ſigno Crucis, ita tamen, vt Hoſtia non egrediatur limites Patenæ, dicens, Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat animam meam in vitam æternam, Amen. & ſe inclinans, cubitis ſuper Altare poſitis, reuerenter eaſdem ambas partes ſumit: quibus ſumptis, deponit Patenam ſuper Corporale; & erigens ſe, iunctis indicibus & pollicibus, ambas quoque manus ante faciem iungit, & aliquantulùm quieſcit in meditatione ſanctiſſimi Sacramenti. Deinde depoſitis manibus dicit ſecretò, Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? & interim diſcooperit Calicem, genuflectit, ſurgit, accipit Patenam, inſpicit Corporale, colligit fragmenta cum Patena, ſi qua ſint in eo, Patenam quoque diligenter cum pollice & indice dextræ manus ſuper Calicem extergit, & ipſos digitos, ne quid fragmentorum in eis remaneat.

5 Si verò adſint Hoſtiæ conſecratæ ſuper Corporale poſitæ pro alio tempore conſeruandæ, facta priùs genuflexione reponit eas in vas ad hoc ordinatum, & diligenter aduertit, ne aliquod fragmentum, quantumcumque minimum, remaneat ſuper Corporale: quod ſi fuerit, accuratè reponit in Calicem. Poſt exterſionem Patenæ, iunctis pollicibus & indicibus Calicem dextra manu infra nodum cuppæ accipit, ſiniſtra Patenam, dicens, Calicem ſalutaris, &c. & ſignans ſe ſigno Crucis cum Calice, dicit, Sanguis Domini noſtri, &c. & manu ſiniſtra ſupponens Patenam Calici, ſtans reuerenter ſumit totum Sanguinem cum particula in Calice poſita. Quibus ſumptis dicit ſecretò, Quod ore ſumpſimus, &c. & ſuper Altare porrigit Calicem miniſtro in cornu Epiſtolæ; quo vinum fundente, ſe purificat: deinde vino & aqua abluit pollices & indices ſuper Calicem, quos abſtergit purificatorio, interim dicens, Corpus tuum Domine quod ſumpſi, &c. Ablutionem ſumit, & extergit os & Calicem purificatorio: quo facto, purificatorium extendit ſuper Calicem, & deſuper Patenam, ac ſuper Patenam paruam pallam; & plicato Corporali, quod reponit in burſam, cooperit Calicem velo, & burſam deſuper ponit, & collocat in medio Altaris, vt in principio Miſſæ.

6 Si qui ſunt communicandi in Miſſa, Sacerdos poſt ſumptionem Sanguinis, antequam ſe purificet, facta genuflexione ponat particulas conſecratas in pyxide, vel, ſi pauci ſint communicandi, ſuper Patenam, niſi à principio poſitæ fuerint in pyxide, ſeu alio Calice. Interim miniſter ante eos extendit linteum, ſeu velum album, & pro eis facit Confeſſionem, dicens, Confiteor Deo, &c. Tum Sacerdos iterùm genuflectit, & manibus iunctis vertens ſe ad populum in cornu Euangelij, dicit, Miſereatur veſtri, & Indulgentiam, abſolutionem & remiſſionem peccatorum veſtrorum, &c. & manu dextra facit ſignum Crucis ſuper eos. Poſteà genuflectens, accipit manu ſiniſtra pyxidem ſeu Patenam cum Sacramento, dextra verò ſumit vnam particulam, quam inter pollicem & indicem tenet aliquantùm eleuatam ſuper pyxidem ſeu Patenam, & conuerſus ad communicandos in medio Altaris dicit: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Deinde dicit: Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur anima mea. Quibus verbis tertiò repetitis, accedit ad eorum dextram, hoc eſt, ad latus Epiſtolæ, & vnicuique porrigit Sacramentum, faciens cum eo ſignum Crucis ſuper pyxidem, vel Patenam, &

ſimul dicens: Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam, Amen. Omnibus communicatis reuertitur ad Altare, nihil dicens: & non dat eis benedictionem, quia illam daturus eſt in fine Miſſæ. Si particulæ poſitæ erant ſuper Corporale, extergit illud cum Patena; & ſiqua in eo fuerint fragmenta, in Calicem immittit. Deinde dicit ſecretò, Quod ore ſumpſimus Domine, &c. & ſe purificat, dicens: Corpus tuum Domine quod ſumpſi. & alia facit vt ſuprà. Miniſter autem dextra manu tenens vas cum vino & aqua, ſiniſtra verò mappulam, aliquantò poſt Sacerdotem eis porrigit purificationem, & mappulam ad os abſtergendum.

7 Si in Altari remaneant particulæ in Calice, ſeu in alio vaſe vſque ad finem Miſſæ, ſeruentur ea quæ in Feria quinta Cœnæ Domini præſcribuntur circa finem Miſſæ.

8 *In Miſſa ſolemni Diaconus ſtans retrò poſt Celebrantem, cùm in Oratione Dominica dicitur,* Et dimitte nobis debita noſtra, *facta ibidem genuflexione vadit ad dextrum Celebrantis, & Subdiaconus circa finem Orationis Dominicæ, facta item genuflexione reuertitur ad Altare, & ſtans in cornu Epiſtolæ porrigit Patenam Diacono, qui eam diſcooperit, & purificatorio abſtergens dat Celebranti, illius manum oſculando, & quando opus eſt, diſcooperit, & cooperit Calicem, & cum Celebrante adorat. Subdiaconus reddita Patena, & depoſito velo quod ab humeris eius pendebat, genuflectit, & deſcendit retrò poſt Celebrantem: & cùm dicitur,* Pax Domini, *iterùm genuflectens accedit ad ſiniſtram Celebrantis, & ſimul dicunt,* Agnus Dei: *deinde facta ibidem Sacramento genuflexione, redit poſt Celebrantem. Diaconus verò à dextris genuflexus expectat pacem: & cùm Celebrans oſculatur Altare, ipſe ſe erigens ſimul oſculatur illud extra Corporale, & à Celebrante dicente,* Pax tecum, *complexus accipit pacem, ſiniſtris genis ſibi inuicem appropinquantibus, & ei reſpondet,* Et cum ſpiritu tuo. *Poſteà iterùm Sacramento in Altari adorato, vertit ſe ad Subdiaconum retrò poſt Celebrantem, & ſimiliter dat ei pacem. Subdiaconus accepta pace à Diacono, & facta Altari genuflexione, comitatus ab Acolytho vadit ad Chorum, & dat pacem primo cuiuſque ordinis, dignioribus priùs, deinde minùs dignis, & reuerſus ad Altare, facta genuflexione dat pacem Acolytho, qui ipſum comitauerat, qui & alijs Acolythis circa Altare dat pacem: deinde Subdiaconus vadit ad dextram Celebrantis, & quando opus eſt, diſcooperit Calicem, accipit ampullam vini, & infundit quando Celebrans vult purificare. Diaconus poſt datam pacem Subdiacono vadit ad librum; & dum Celebrans ſe communicat, ſtant ipſe & Subdiaconus profundè inclinati verſus Altare.*

9 *In Miſſa Pontificali, Aſſiſtens accipit & defert pacem, vt in Cæremoniali habetur. Si in Miſſa ſolemni fiat Communio, omnino ſeruentur vt ſuprà, ſed priùs communicet Diaconum & Subdiaconum, deinde alios per ordinem: & Diaconus purificationem eis miniſtret. Interim à Choro cantatur Antiphona, quæ dicitur* Communio.

## De Communione, & Orationibus poſt Communionem dicendis. XI.

1 Celebrante purificato, dum Calicem collocat in Altari, liber Miſſalis defertur per miniſtrum ad cornu Epiſtolæ, & collocatur vt in Introitu. Ipſe autem miniſter genuflectit iuxta cornu Euangelij, vt in principio Miſſæ. Deinde Celebrans ſtans iunctis manibus legit Antiphonam quæ dicitur Communio: qua lecta, iunctis item manibus ante pectus vadit ad medium Altaris, & eo oſculato vertit ſe ad populum à manu ſiniſtra ad dextram, & dicit, Dominus vobiſcum, & per eamdem viam redit ad librum, dicit Orationes poſt Communionem: eiſdem modo, numero, & ordine, vt ſuprà dictæ ſunt Collectæ. Quibus finitis, claudit librum, & iungens manus ante pectus, reuertitur ad medium Altaris, vbi eo oſculato vertit ſe ad populum, & dicit vt ſuprà, Dominus vobiſcum. quo dicto, ſtans iunctis manibus ante pectus verſus populum, dicit, ſi dicendum eſt, Ite miſſa eſt, & per eamdem viam reuertitur ad Altare. Si verò non ſit dicendum, dicto Dominus vobiſcum, reuertitur eodem modo per eamdem viam ad medium Altaris; ſtans verſus ad illud, iunctis ante pectus manibus dicit, Benedicamus Domino. In Miſſis autem Defunctorum eodem modo ſtans verſus Altare, dicit, Requieſcant in pace.

2 In Quadrageſima autem à Feria quarta Cinerum vſque ad Feriam quartam maioris Hebdomadæ, in feriali Officio poſtquam Celebrans dixit Orationes poſt Communionem cum ſuis ſolitis concluſionibus, antequam dicat, Dominus vobiſcum, ſtans in eodem loco ante librum dicit, Oremus, Humiliate capita veſtra Deo. caput inclinans, & extenſis manibus ſubiungit eadem voce Orationem ſuper populum ibidem poſitam: qua finita oſculatur Altare, & vertens ſe ad populum dicit, Dominus vobiſcum, & alia vt ſuprà.

3 *In Miſſa ſolemni Diaconus defert librum Miſſalis ad cornu Epiſtolæ, deinde vadit retrò poſt Celebrantem: Subdiaconus verò vadit ad cornu Euangelij, vbi Calicem mundat, aptat cum purificatorio, Patena & palla cooperit, plicat Corporale, reponit in burſam, & illam ponit ſuper Calicem coopertum velo, quem collocat in Altari, vel ſuper credentia vt priùs: poſteà redit ad locum ſuum retrò poſt Diaconum: qui cùm dicit,* Ite Miſſa eſt, *cum Celebrante vertit ſe ad populum: & in Quadrageſima dicto per Celebrantem* Oremus, *Diaconus in cornu Epiſtolæ vertens ſe ad populum, iunctis manibus dicit vt ſuprà,* Humiliate, *&c. quo dicto vertit ſe verſus Altare à tergo Celebrantis, & Celebrans dicit Orationem ſuper populum.*

## De benedictione in fine Miſſæ, & Euangelio ſancti Ioannis. XII.

1 Dicto Ite Miſſa eſt, vel Benedicamus Domino, vt ſuprà, Celebrans ante medium Altaris ſtans iunctis manibus ſuper eo, & capite inclinato, dicit ſecretò, Placeat tibi ſancta Trini-

tas, &c. quo dicto extenſis manibus hinc inde ſuper Altare poſitis, ipſum in medio oſculatur: tum erigens ſe, adhuc ſtans verſus illud, eleuat ad cælum oculos & manus, quas extendit, & iungit, caputque Cruci inclinans, dicit voce intelligibili, Benedicat vos omnipotens Deus, & iunctis manibus, ac demiſſis ad terram oculis, vertens ſe ad populum à ſiniſtro latere ad dextrum, extenſa manu dextra, iunctiſque digitis, & manu ſiniſtra infra pectus poſita, ſemel benedicit populo, dicens, Pater, & Filius, ✠ & Spiritus ſanctus. ℟. Amen. & circulum perficiens accedit ad cornu Euangelij, vbi dicto Dominus vobiſcum, & ℟. Et cum ſpiritu tuo: pollice dextro ſignans primùm ſigno Crucis Altare ſeu librum in principio Euangelij, deinde frontem, os, & pectus, dicit, Initium ſancti Euangelij ſecundùm Ioannem, vel, Sequentia ſancti Euangelij, vt dictum eſt in Rubricis generalibus, & ℟. Gloria tibi Domine, iunctis manibus legit Euangelium, In principio, vel aliud vt conuenit. Cùm dicit, Et Verbum caro factum eſt, genuflectit verſus cornu Euangelij, & ſurgens proſequitur vt priùs: quo finito, miniſter ſtans à parte Epiſtolæ reſpondet, Deo gratias.

2 Si Celebrans in Altari vertit faciem ad populum, non vertit ſe, ſed ſtans vt erat, benedicit populo, vt ſuprà, in medio Altaris: deinde accedit ad cornu Euangelij, & dicit Euangelium ſancti Ioannis.

3 Si celebrauit coram ſummo Pontifice, Cardinale, & Legato Sedis Apoſtolicæ, vel Patriarcha, Archiepiſcopo, & Epiſcopo in prouincia, ciuitate, vel diœceſi ſua exiſtente, Celebrans dicto Placeat tibi ſancta Trinitas, &c. dicit, Benedicat vos omnipotens Deus, & conuertens ſe ad ſummum Pontificem genuflexus, ad Cardinalem verò & Legatum, vel alium ex ſupradictis Prælatis, capite inclinato quaſi licentiam benedicendi petens, proſequitur, Pater, & Filius, ✠ & Spiritus ſanctus, benedicens aſtantes à parte vbi non adeſt Pontifex, Cardinalis, Legatus aut Prælatus prædicti. Si autem celebrauit coram Patriarcha, Archiepiſcopo, & Epiſcopo, extra eorum prouinciam, ciuitatem, vel diœceſim conſtitutis, eis abſque alio reſpectu, vt ceteris qui interſunt, more conſueto benedicit.

4 Si autem celebrauit pro Defunctis, dicto Placeat tibi ſancta Trinitas, vt ſuprà, & oſculato Altari, accedit ad cornu Euangelij, & dicit Euangelium ſancti Ioannis, prætermiſſa benedictione, quæ in Miſſis defunctorum non datur.

5 Finito Euangelio in fine Miſſæ, ſi celebrauit coram ſummo Pontifice, Cardinale, & Legato Sedis Apoſtolicæ, vel Patriarcha, Archiepiſcopo, & Epiſcopo, conuertit ſe ad illum, coram quo ex prædictis celebrauit, & facit reuerentiam conuenientem. Si non celebrauit coram aliquo prædictorum, huiuſmodi reuerentiam prætermittit.

6 Quibus omnibus abſolutis, extinguuntur per miniſtrum candelæ: interim Sacerdos accipit ſiniſtra Calicem, dextram ponens ſuper burſam, ne aliquid cadat, deſcendit ante infimum gradum Altaris; & ibi in medio vertens ſe ad illud, caput inclinat (vel, ſi in eo eſt tabernaculum ſanctiſſimi Sacramenti, genuflectit) & facta reuerentia, accipit biretum à miniſtro, caput cooperit, ac præcedente eodem miniſtro, eo modo quo venerat, redit ad Sacriſtiam, interim dicens Antiphonam, Trium puerorum, & Canticum Benedicite. Si verò ſit dimiſſurus paramenta apud Altare vbi celebrauit, finito Euangelio prædicto, ibidem illis ſe exuit, dicit Antiphonam, Trium puerorum, cum Cantico, & aliis Orationibus, vt ſuo loco ponuntur.

*In Miſſa ſolemni Celebrans eadem voce & modo quo in Miſſis priuatis, ſemel tantùm benedicit populo, niſi ſit Epiſcopus: & dicto Euangelio ſecundùm Ioannem, vel alio vt ſuprà, miniſtrante Subdiacono librum, ſi opus eſt, diſcedit cum miniſtris ordine & modo quo venerat.* 7

*Epiſcopus autem ter benedicit populo, etiam in Miſſis priuatis, vt in Cæremoniali habetur.*

## De his quæ omittuntur in Miſſa pro Defunctis.
## XIII.

IN Miſſa pro Defunctis ante Confeſſionem non dicitur Pſalmus, Iudica me Deus: ſed pronuntiata Antiphona, Introibo ad Altare Dei, & reſponſo à miniſtro, Ad Deum qui lætificat, &c. dicitur ℣. Adiutorium noſtrum, &c. Confeſſio, cum reliquis vt ſuprà. Cùm Celebrans ad Altare incipit Introitum, non ſignat ſe, ſed manu dextra extenſa, facit ſignum Crucis ſuper librum, quaſi aliquem benedicens. Non dicitur Gloria Patri, ſed poſt Pſalmum repetitur, Requiem æternam, nec dicitur Gloria in excelſis, nec Alleluia, nec Iube Domine benedicere, nec Dominus ſit in corde meo: nec oſculatur librum in fine. Non dicitur Credo, non benedicitur aqua in Calicem fundenda; dicitur tamen Oratio, Deus qui humanæ ſubſtantiæ, &c. Cùm lauat manus, in fine Pſalmi, Lauabo inter innocentes, non dicitur, Gloria Patri. Ad Agnus Dei, non dicitur, miſerere nobis, cuius loco dicitur, dona eis requiem, nec tertiò, dona nobis pacem, cuius loco dicitur, dona eis requiem ſempiternam. neque percutitur pectus. Non dicitur prima Oratio ante Communionem, ſcilicet, Domine Ieſu Chriſte, qui dixiſti Apoſtolis tuis, &c. nec datur pax. In fine non dicitur, Ite Miſſa eſt, nec Benedicamus Domino, ſed Requieſcant in pace. Et non datur benedictio: ſed dicto Placeat, & oſculato Altari, dicitur vt ſuprà, In principio erat Verbum, &c. alia omnia vt in aliis Miſſis. 1

*In Miſſa ſolemni non incenſatur Altare ad Introitum, & Subdiaconus finita Epiſtola non oſculatur manum Celebrantis, nec benedicitur: Diaconus non petit benedictionem, nec oſculatur Celebrantis manum: non tenentur luminaria ad Euangelium, nec portatur incenſum, ſed duo tantùm Acolythi ſine candelabris ſtant vnus à dextris & alter à ſiniſtris Subdiaconi tenentis librum Euangeliorum. Non incenſatur liber, nec in fine Celebrans; nec defertur liber Euangeliorum oſcu-* 2

*landus. Oblata & Altare incenſantur vt ſuprà : incenſatur ſolus Celebrans; & non incenſantur alij. Subdiaconus non tenet Patenam poſt Celebrantem : ſed tempore eleuationis Sacramenti genuflexus in cornu Epiſtolæ illud incenſat. Miniſtri cùm aliquid porrigunt Celebranti, in hac Miſſa non oſculantur eius manum, neque rem quæ porrigitur.*

3 *Si diſtribuendæ ſunt candelæ, diſtribuantur poſt Epiſtolam, & accendantur ad Euangelium, ad eleuationem Sacramenti, & poſt Miſſam, dum fit Abſolutio. Si habendus eſt ſermo, habeatur finita Miſſa ante Abſolutionem.*

4 *Finita Miſſa, ſi facienda eſt Abſolutio, Celebrans retrahit ſe ad cornu Epiſtolæ, vbi exuitur Caſula, & depoſito Manipulo, accipit Pluuiale nigrum. Subdiaconus medius inter duos Acolythos cum candelabris accenſis, defert Crucem ſicut in Proceſsionibus, præcedentibus duobus alijs Acolythis, vno cum Thuribulo & nauicula incenſi, alio cum vaſe aquæ benedictæ & aſperſorio : ſequitur Celebrans, facta priùs Altari reuerentia, & Diaconus à ſiniſtris eius. Subdiaconus cum Cruce ſiſtit ſe ad pedes tumuli, ſeu lecticæ mortuorum contra Altare, medius inter dictos Acolythos tenentes luminaria : Celebrans verò ex alia parte in capite loci inter Altare & tumulum, aliquantùm verſus cornu Epiſtolæ, ita vt Crucem Subdiaconi reſpiciat : à ſiniſtris eius Diaconus, & prope eum alij duo Acolythi deferentes Thuribulum, & vas aquæ benedictæ. Interim cantatur* ℟. Libera me Domine. *& circa illius finem Celebrans ponit incenſum in Thuribulum, benedicens illud more ſolito, miniſtrante Diacono nauiculam : & finito* Kyrie eleiſon, *incipit intelligibili voce,* Pater noſter. *& ſecretè proſequendo reliqua, accipit aſperſorium de manu Diaconi, & facta Altari reuerentia, comitante eodem Diacono à dextris, & tenente fimbriam anteriorem Pluuialis, circuiens tumulum, aſpergit illum aqua benedicta, ter à parte dextra, & ter à ſiniſtra. Cùm tranſit ante Crucem, profundè inclinat, Diaconus verò genuflectit : poſteà de manu eiuſdem Diaconi accipit Thuribulum; & eodem modo quo aſperſerat, incenſat. Et rediens ad priſtinum locum, Diacono tenente librum, iunctis manibus dicit:*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiônem.

℟. Sed líbera nos à malo. ℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimam eius.

℣. Requiéſcat in pace. ℟. Amen.

℣. Dómine exáudi oratiônem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat..

℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo. Oremus.

ABſólue, quæſumus Dómine, ánimam fámuli tui N. ab omni vínculo delictôrum : vt in reſurrectiônis glória, inter ſanctos & eléctos tuos reſuſcitâtus reſpîret Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde Celebrans faciens Crucem manu dextra ſuper tumulum, dicit:

℣. Requiẽ ætérnam dona ei Dómine.

℟. Et lux perpétua lúceat ei.

Et dicto per Cantores, Requiéſcant in pace, & ℟. Amen. præcedente Cruce redit cum aliis ad Sacriſtiam.

*Si Officium ſit pro pluribus Defunctis, omnia dicantur in numero plurali.*

# DE DEFECTIBVS IN CELEBRATIONE MISSARVM OCCVRRENTIBVS.

SAcerdos celebraturus, omnem adhibeat diligentiam, ne deſit aliquid ex requiſitis ad Sacramentum Euchariſtiæ conficiendum. Poteſt autem defectus contingere ex parte materiæ conſecrandæ, & ex parte formæ adhibendæ, & ex parte miniſtri conficientis. Quidquid enim horum deficit, ſcilicet materia debita, forma cum intentione, & ordo ſacerdotalis in conficiente, non conficitur Sacramentum. Et his exiſtentibus, quibuſcumque aliis deficientibus, veritas adeſt Sacramenti. Alij verò ſunt defectus, qui in Miſſæ celebratione occurrentes, etſi veritatem Sacramenti non impediant, poſſunt tamen aut cum peccato, aut cum ſcandalo contingere.

## De defectibus materiæ. II.

DEfectus ex parte materiæ poſſunt contingere, ſi aliquid deſit ex iis quæ ad ipſam requiruntur. Requiritur enim vt ſit panis triticeus, & vinum de vite : & vt huiuſmodi materia conſecranda, in actu conſecrationis ſit coram Sacerdote.

De

### De defectu panis. III.

1 SI panis non ſit triticeus, vel ſi triticeus, admixtus ſit granis alterius generis in tanta quantitate, vt non maneat panis triticeus, vel ſit alioqui corruptus; non conficitur Sacramentum.

2 Si ſit confectus de aqua roſacea, vel alterius diſtillationis, dubium eſt an conficiatur.

3 Si cœperit corrumpi, ſed non ſit corruptus; ſimiliter ſi non ſit azymus, ſecundùm morem Eccleſiæ Latinæ; conficitur, ſed conficiens grauiter peccat.

4 Si Celebrans ante conſecrationem aduerterit Hoſtiam eſſe corruptam, aut non eſſe triticeam; remota illa Hoſtia, aliam ponat, & facta oblatione, ſaltem mente concepta, proſequatur ab eo loco, vbi deſiuit.

5 Si id aduerterit poſt conſecrationem, etiam poſt illius Hoſtiæ ſumptionem, poſita alia, faciat oblationem vt ſuprà, & à conſecratione incipiat, ſcilicet ab illis verbis, *Qui pridie quàm pateretur*, & illam priorem ſi non ſumpſit, ſumat poſt ſumptionem Corporis & Sanguinis, vel alij ſumendam tradat, vel alicubi reuerenter conſeruet. Si autem ſumpſerat, nihilominùs ſumat eam quam conſecrauit: quia præceptum de perfectione Sacramenti maioris eſt ponderis, quàm quòd à ieiunis ſumatur.

6 Quòd ſi hoc contingat poſt ſumptionem Sanguinis, apponi debet rurſus nouus panis, & vinum cum aqua; & facta priùs oblatione vt ſuprà, Sacerdos conſecret, incipiendo ab illis verbis, *Qui pridie*, ac ſtatim ſumat vtrumque, & proſequatur Miſſam: ne Sacramentum remaneat imperfectum, & vt debitus ſeruetur ordo.

7 Si Hoſtia conſecrata diſpareat, vel caſu aliquo, vt vento, aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, & nequeat reperiri; tunc altera conſecretur, ab eo loco incipiendo, *Qui pridie quàm pateretur*, facta eius priùs oblatione vt ſuprà.

### De defectu vini. IIII.

1 SI vinum ſit factum penitus acetum, vel penitus putridum, vel de vuis acerbis ſeu non maturis expreſſum, vel ei admixtum tantum aquæ vt vinum ſit corruptum; non conficitur Sacramentum.

2 Si vinum cœperit aceſcere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantùm acre, vel muſtum de vuis tunc expreſſum, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua roſacea, ſeu alterius diſtillationis, conficitur Sacramentum, ſed conficiens grauiter peccat.

3 Si Celebrans ante conſecrationem Sanguinis, quamuis poſt conſecrationem Corporis, aduertat aut vinum, aut aquam, aut vtrumque non eſſe in Calice; debet ſtatim apponere vinum cum aqua, & facta oblatione vt ſuprà, conſecrare, incipiendo ab illis verbis, *Simili modo*, &c.

4 Si poſt verba conſecrationis aduertat vinum non fuiſſe poſitum, ſed aquam; depoſita aqua in aliquod vas, iterùm vinum cum aqua ponat in Calice, & conſecret, reſumendo à verbis prædictis, *Simili modo*.

5 Si hoc aduertat poſt ſumptionem Corporis, vel huiuſmodi aquæ; apponat aliam Hoſtiam iterùm conſecrandam, & vinum cum aqua in Calice, offerat vtrumque, & conſecret, & ſumat, quamuis non ſit ieiunus. Vel, ſi Miſſa celebretur in loco publico, vbi plures adſint, ad euitandum ſcandalum poterit apponere vinum cum aqua, & facta oblatione vt ſuprà, conſecrare, ac ſtatim ſumere, & proſequi cetera.

Si quis percipiat ante conſecrationem, vel poſt 6
conſecrationem, totum vinum eſſe acetum vel aliàs corruptum, idem ſeruetur quod ſuprà, ac ſi deprehenderet non eſſe poſitum vinum, vel ſolam aquam fuiſſe appoſitam in Calice.

Si autem Celebrans ante conſecrationem Calicis 7
aduertat non fuiſſe appoſitam aquam, ſtatim ponat eam, & proferat verba conſecrationis. Si id aduertat poſt conſecrationem Calicis, nullo modo apponat, quia non eſt de neceſſitate Sacramenti.

Si materia quæ eſſet apponenda, ratione defectus 8
vel panis vel vini non poſſet vllo modo haberi; ſi id ſit ante conſecrationem Corporis, vlteriùs procedi non debet: ſi poſt conſecrationem Corporis, aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius ſpeciei, altera iam conſecrata; tunc ſi nullo modo haberi poſſit, procedendum erit, & Miſſa abſoluenda, ita tamen vt prætermittantur verba & ſigna quæ pertinent ad ſpeciem deficientem. Quòd ſi expectando aliquamdiu haberi poſſit, expectandum erit, ne ſacrificium remaneat imperfectum.

### De defectibus formæ. V.

DEfectus ex parte formæ poſſunt contingere, 1
ſi aliquid deſit ex iis quæ ad integritatem verborum in ipſa conſecratione requiruntur. Verba autem conſecrationis, quæ ſunt forma huius Sacramenti, ſunt hæc: *Hoc eſt enim corpus meum.* Et, *Hic eſt enim calix ſanguinis mei, noui & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Si quis autem aliquid diminueret, vel immutaret de forma conſecrationis Corporis & Sanguinis, & in ipſa verborum immutatione verba idem non ſignificarent, non conficeret Sacramentum. Si verò aliquid adderet quod ſignificationem non mutaret, conficeret quidem, ſed grauiſſimè peccaret.

Si Celebrans non recordetur ſe dixiſſe ea quæ 2
in conſecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certò ei conſtet, ſe omiſiſſe aliquid eorum quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti, id eſt, formam conſecrationis, ſeu partem, reſumat ipſam formam, & cetera proſequatur, per ordinem. Si verò valdè probabiliter dubitat ſe aliquid eſſentiale omiſiſſe; iteret formam ſaltem ſub tacita conditione. Si autem non ſunt de neceſſitate Sacramenti, non reſumat, ſed procedat vlteriùs.

### De defectibus miniſtri. VI.

DEfectus ex parte miniſtri poſſunt contingere quo ad ea quæ in ipſo requiruntur. Hæc autem ſunt: In primis intentio, deinde diſpoſitio animæ, diſpoſitio corporalis, diſpoſitio

veſtimentorum, diſpoſitio in miniſterio ipſo, quoad ea quæ in ipſo poſſunt occurrere.

### De defectu intentionis. VII.

1 SI quis non intendit conficere, ſed deluſoriè aliquid agere. Item ſi aliquæ Hoſtiæ ex obliuione remaneant in Altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua Hoſtia lateat, cùm non intendat conſecrare niſi quas videt. Item ſi quis habeat coram ſe vndecim Hoſtias, & intendat conſecrare ſolùm decem, non determinans quas decem intendit: in his caſibus non conſecrat, quia requiritur intentio. Secùs ſi putans quidem eſſe decem, tamen omnes voluit conſecrare quas coram ſe habebat: nam tunc omnes erunt conſecratæ: atque ideò quilibet Sacerdos talem ſemper intentionem habere deberet, ſcilicet conſecrandi eas omnes, quas ante ſe ad conſecrandum poſitas habet.

2 Si Sacerdos putans ſe tenere vnam Hoſtiam, poſt conſecrationem inuenerit fuiſſe duas ſimul iunctas, in ſumptione ſumat ſimul vtramque. Quòd ſi deprehendat poſt ſumptionem Corporis & Sanguinis, aut etiam poſt ablutionem, reliquias aliquas relictas conſecratas, eas ſumat, ſiue paruæ ſint, ſiue magnæ, quia ad idem ſacrificium ſpectant.

3 Si verò relicta ſit Hoſtia integra conſecrata, eam in tabernaculo cum aliis reponat: ſi hoc fieri nequit, ſequenti Sacerdoti ibi celebraturo, in Altari ſupra Corporale decenter opertam, ſumendam vnà cum altera quam eſt conſecraturus, relinquat: vel ſi neutrum horum fieri poſſit, in ipſo Calice ſeu Patena decenter conſeruet, quouſque vel in tabernaculo reponatur, vel ab altero ſumatur: quòd ſi non habeat quomodo honeſtè conſeruetur, poteſt eam ipſemet ſumere.

4 Si intentio non ſit actualis in ipſa conſecratione propter euagationem mentis, ſed virtualis, cùm accedens ad Altare intendat facere quod facit Eccleſia, conficitur Sacramentum; etſi curare debet Sacerdos, vt etiam actualem intentionem adhibeat.

### De defectibus diſpoſitionis animæ. VIII.

1 SI quis ſuſpenſus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel aliàs canonicè impeditus, celebret; conficit quidem Sacramentum, ſed grauiſſimè peccat, tam propter Communionem, quam indignè ſumit, quàm propter executionem Ordinum, quæ ſibi erat interdicta.

2 Si quis habens copiam Confeſſoris celebret in peccato mortali, grauiter peccat.

3 Si quis autem in caſu neceſſitatis non habens copiam Confeſſoris, in peccato mortali abſque contritione celebret, grauiter peccat. Secùs ſi conteratur: debet tamen cùm primùm poterit, confiteri.

4 Si in ipſa celebratione Miſſæ Sacerdos recordetur ſe eſſe in peccato mortali, conteratur cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi.

5 Si recordetur ſe eſſe excommunicatum, vel ſuſpenſum, aut locum eſſe interdictum, ſimiliter conteratur cum propoſito petendi abſolutionẽ. Ante conſecrationem autem in ſupradictis caſibus, ſi non timetur ſcandalum, debet Miſſam inceptam deſerere.

### De defectibus diſpoſitionis corporis. IX.

SI quis non eſt ieiunus poſt mediam noctem, 1
etiam poſt ſumptionem ſolius aquæ vel alterius potus, aut cibi, per modum etiam medicinæ, & in quantumcumque parua quantitate, non poteſt communicare, nec celebrare.

Si autem ante mediam noctem cibum aut po- 2
tum ſumpſerit, etiam ſi poſtmodum non dormierit, nec ſit digeſtus, non peccat: ſed ob perturbationem mentis, ex qua deuotio tollitur, conſulitur aliquando abſtinendum.

Si reliquiæ cibi remanentes in ore tranſglutian- 3
tur, non impediunt Communionem, cùm non tranſglutiantur per modum cibi, ſed per modum ſaliuæ. Idem dicendum, ſi lauando os, deglutiatur ſtilla aquæ præter intentionem.

Si plures Miſſas in vna die celebret, vt in Na- 4
tiuitate Domini, in vnaquaque Miſſa abluat digitos in aliquo vaſe mundo, & in vltima tantùm percipiat purificationem.

Si præceſſerit pollutio nocturna, quæ cauſata 5
fuerit ex præcedenti cogitatione, quæ ſit peccatum mortale, vel euenerit propter nimiam crapulam, abſtinendum eſt à Communione & celebratione, niſi aliud Confeſſario videatur. Si dubium eſt, an in præcedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, conſulitur abſtinendum, extra tamen caſum neceſſitatis. Si autem certum eſt non fuiſſe in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuiſſe cogitationem, ſed eueniſſe ex naturali cauſa, aut ex diabolica illuſione, poteſt communicare & celebrare; niſi ex illa corporis commotione tanta euenerit perturbatio mentis, vt abſtinendum videatur.

### De defectibus in miniſterio ipſo occurrentibus. X.

POſſunt etiam defectus occurrere in miniſterio 1
ipſo, ſi aliquid ex requiſitis ad illud deſit: vt ſi celebretur in loco non ſacro, vel non deputato ab Epiſcopo, vel in Altari non conſecrato, vel tribus mappis non cooperto: ſi non adſint luminaria cerea: ſi non ſit tempus debitum celebrandi, quod eſt ab aurora vſque ad meridiem, communiter: ſi Celebrans ſaltem Matutinum cum Laudibus non dixerit: ſi omittat aliquid ex veſtibus ſacerdotalibus: ſi veſtes ſacerdotales & mappæ non ſint ab Epiſcopo vel ab alio hanc habente poteſtatem benedictæ: ſi non adſit clericus, vel alius deſeruiens in Miſſa, vel adſit qui deſeruire non debet, vt mulier: ſi non adſit Calix cum Patena conueniens, cuius cuppa debet eſſe aurea, vel argentea, vel ſtannea; non ærea, vel vitrea: ſi Corporalia non ſint munda, quæ debent eſſe ex lino, nec ſerico in medio ornata, & ab Epiſcopo vel ab alio hanc habente poteſtatem benedicta, vt etiam ſuperiùs dictum eſt: ſi celebret capite cooperto ſine diſpenſatione: ſi non adſit Miſſale, licet memoriter ſciret Miſſam, quam intendit dicere.

Si Sacerdote celebrante violetur Eccleſia ante 2
Canonem, dimittatur Miſſa: ſi poſt Canonem, non dimittatur. Si timeatur incurſus hoſtium,

vel

vel alluuionis, vel ruina loci vbi celebratur, ante conſecrationem dimittatur Miſſa, poſt conſecrationem verò Sacerdos accelerare poterit ſumptionem Sacramenti, omiſſis omnibus aliis.

3 Si Sacerdos ante conſecrationem grauiter infirmetur, vel in ſyncopen inciderit, aut moriatur, prætermittitur Miſſa: ſi poſt conſecrationem Corporis tantùm, ante conſecrationem Sanguinis, vel vtroque conſecrato id accidit, Miſſa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, vbi ille deſiit, & in caſu neceſſitatis etiam per non ieiunum. Si autem non obierit, ſed fuerit infirmus, adeò tamen vt poſſit communicare, & non adſit alia Hoſtia conſecrata, Sacerdos qui Miſſam ſupplet, diuidat Hoſtiam, & vnam partem præbeat infirmo, aliam ipſe ſumat. Si autem ſemiprolata forma Corporis obiit Sacerdos, quia non eſt facta conſecratio, non eſt neceſſe vt Miſſa per alium ſuppleatur. Si verò obierit ſemiprolata forma Sanguinis, tunc alter proſequatur Miſſam, & ſuper eumdem Calicem repetat integram formam, ab eo loco, *Simili modo poſtquam cœnatum eſt.* vel poſſet ſuper alium Calicem præparatum integram formam proferre, & Hoſtiam primi Sacerdotis, & Sanguinem à ſe conſecratum ſumere, ac deinde Calicem relictum ſemiconſecratum.

4 Si quis extra huiuſmodi caſus neceſſitatis, integra Sacramenta non ſumpſerit, grauiſſimè peccat.

5 Si muſca, vel aranea, vel aliquid aliud ceciderit in Calicem ante conſecrationem, proijciat vinum in locum decentem, & aliud ponat in Calice, miſceat parum aquæ, offerat vt ſuprà, & proſequatur Miſſam: ſi poſt conſecrationem ceciderit muſca, aut aliquid eiuſmodi, & fiat nauſea Sacerdoti, extrahat eam, & lauet cum vino, finita Miſſa comburat, & combuſtio ac lotio huiuſmodi in ſacrarium proijciatur. Si autem non fuerit ei nauſea, nec vllum periculum timeat, ſumat cum Sanguine.

6 Si aliquod venenoſum ceciderit in Calicem, vel quod prouocaret vomitum, vinum conſecratum reponendum eſt in alio Calice, & aliud vinum cum aqua apponendum denuò conſecrandum: & finita Miſſa Sanguis repoſitus, in panno lineo vel ſtuppa tamdiu ſeruetur, donec ſpecies vini fuerint deſiccatæ, & tunc ſtuppa comburatur, & combuſtio in ſacrarium proiiciatur.

7 Si aliquod venenatum contigerit Hoſtiam conſecratam, tunc alteram conſecret, & ſumat modo quo dictum eſt, & illa ſeruetur in tabernaculo loco ſeparato, donec ſpecies corrumpantur, & corrupta deinde mittantur in ſacrarium.

8 Si ſumendo Sanguinem, particula remanſerit in Calice, digito ad labium Calicis eam adducat, & ſumat ante purificationem, vel infundat vinum & ſumat.

9 Si Hoſtia ante conſecrationem inueniatur fracta, niſi populo euidenter appareat, talis Hoſtia conſecretur: ſi autem ſcandalum populo eſſe poſſit, alia accipiatur, & offeratur: quòd ſi illius Hoſtiæ iam erat facta oblatio, eam poſt ablutionem ſumat. Quòd ſi ante oblationem Hoſtia appareat confracta, accipiatur altera integra, ſi citra ſcandalum, aut longam moram fieri poterit.

10 Si propter frigus, vel negligentiam, Hoſtia conſecrata dilabatur in Calicem, propterea nihil eſt reiterandum; ſed Sacerdos Miſſam proſequatur, faciendo cæremonias & ſigna conſueta cum reſidua parte Hoſtiæ, quæ non eſt madefacta Sanguine, ſi commodè poteſt. Si verò tota fuerit madefacta, non extrahat eam, ſed omnia dicat, omittendo ſigna, & ſumat pariter Corpus & Sanguinem, ſignans ſe cum Calice, & dicens: *Corpus & Sanguis Domini noſtri,* &c.

11 Si in hieme Sanguis congeletur in Calice, inuoluatur Calix pannis calefactis: ſi id non proficeret, ponatur in feruenti aqua prope Altare; dummodò in Calicem non intret, donec liquefiat.

12 Si per negligentiam aliquid de Sanguine Chriſti ceciderit, ſi quidem ſuper terram, ſeu ſuper tabulam, lingua lambatur, & locus ipſe radatur quantum ſatis eſt, & abraſio comburatur; cinis verò in ſacrarium recondatur. Si verò ſuper lapid m Altaris ceciderit, ſorbeat Sacerdos ſtillam, & locus benè abluatur, & ablutio in ſacrarium proijciatur. Si ſuper linteum Altaris, & ad aliud linteum ſtilla peruenerit; ſi vſque ad tertium: linteamina ter abluantur vbi ſtilla ceciderit, Calice ſuppoſito, & aqua ablutionis in ſacrarium proijciatur. Quòd ſi in ipſo ſolùm Corporali, aut ſi in veſtibus ipſius ſacerdotalibus ceciderit, debet ſimiliter ablui, & ablutio in ſacrarium proijci. Si in ſubſtrato pedibus panno, vel tapeto, benè abluatur, vt ſuprà.

13 At ſi contingat totum Sanguinem poſt conſecrationem effundi, ſi quidem aliquid vel parum remanſit, illud ſumatur, & de effuſo reliquo Sanguine fiat vt dictum eſt. Si verò nihil omnino remanſit, ponat iterùm vinum & aquam, & conſecret ab eo loco, *Simili modo poſtquam cœnatum eſt,* facta priùs tamen Calicis oblatione, vt ſuprà.

14 Si Sacerdos euomat Euchariſtiam, ſi ſpecies integræ appareant, reuerenter ſumantur, niſi nauſea fiat: tunc enim ſpecies conſecratæ cautè ſeparentur, & in aliquo loco ſacro reponantur, donec corrumpantur, & poſteà in ſacrarium proiiciantur. Quòd ſi ſpecies non appareant, comburatur vomitus, & cineres in ſacrarium mittantur.

15 Si Hoſtia conſecrata, vel aliqua eius particula dilabatur in terram, reuerenter accipiatur, & locus vbi cecidit, mundetur, & aliquantum abradatur, & puluis ſeu abraſio huiuſmodi in ſacrarium immittatur. Si ceciderit extra Corporale in mappam, ſeu alio quouis modo in aliquod linteum, mappa vel linteum huiuſmodi diligenter lauetur, & lotio ipſa in ſacrarium effundatur.

1 Poſſunt etiam defectus in miniſterio ipſo occurrere, ſi Sacerdos ignoret ritus & cæremonias ipſas in eo ſeruandas: de quibus omnibus in ſuperioribus Rubricis copioſè dictum eſt.

FINIS.

# PRÆPARATIO AD MISSAM PRO OPPORTVNITATE SACERDOTIS FACIENDA.

Antiphona.

NE reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum: neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

Quæ Antiphona in Feſtis Duplicibus tantùm duplicatur; & tempore Paſchali additur in fine, Alleluia. Deinde dicuntur ſequentes Pſalmi. Pſalmus 83.

QVàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.

Etenim paſſer inuenit ſibi domum: & turtur nidum ſibi, vbi ponat pullos ſuos.

Altaria tua Domine virtutum: Rex meus, & Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum, in loco quem poſuit.

Etenim benedictionẽ dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Iacob.

Protector noſter aſpice Deus: & reſpice in faciem Chriſti tui:

Quia melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia.

Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei: magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia miſericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus.

Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia: Dñe virtutum, beatus homo qui ſperat in te.

Gloria Patri. Pſalmus 84.

BEnedixiſti Dñe terram tuam: auertiſti captiuitatem Iacob.

Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ: operuiſti omnia peccata eorum.

Mitigaſti omnem iram tuam: auertiſti ab ira indignationis tuæ.

Conuerte nos Deus ſalutaris noſter: & auerte iram tuam à nobis.

Numquid in æternum iraſcêris nobis? aut extendes iram tuam à generatione in generationem?

Deus tu conuerſus viuificabis nos: & plebs tua lætabitur in te.

Oſtende nobis Dñe miſericordiã tuam: & ſalutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem ſuam;

Et ſuper ſanctos ſuos: & in eos qui conuertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes

eum

eum ſalutare ipſius: vt inhabitet gloria in terra noſtra.
Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi: iuſtitia & pax oſculatæ ſunt.
Veritas de terra orta eſt: & iuſtitia de cælo proſpexit.
Etenim Dñs dabit benignitatem: & terra noſtra dabit fructũ ſuum.
Iuſtitia ante eum ambulabit: & ponet in via greſſus ſuos.
Gloria Patri.

Pſalmus 85.

INclina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops & pauper ſum ego.
Cuſtodi animã meam, quoniam ſanctus ſum: ſaluum fac ſeruum tuum, Deus meus, ſperantem in te.
Miſerere mei Domine, quoniam ad te clamaui tota die: lætifica animam ſerui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui.
Quóniam tu Domine ſuauis, & mitis: & multæ miſericordiæ omnibus inuocantibus te.
Auribus percipe Domine orationem meam: & intende voci deprecationis meæ.
In die tribulationis meæ clamaui ad te: quia exaudiſti me.
Non eſt ſimilis tui in diis Dñe: & non eſt ſecundùm opera tua.
Omnes gentes quaſcumq; feciſti, veniẽt, & adorabunt corã te Dñe: & glorificabunt nomen tuum.
Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus ſolus.
Deduc me Dñe in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum vt timeat nomen tuum.
Confitebor tibi Dñe Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum:
Quia miſericordia tua magna eſt ſuper me: & eruiſti animam meam ex inferno inferiori.
Deus, iniqui inſurrexerunt ſuper me, & ſynagoga potentium quæſierunt animam meam, & non propoſuerunt te in conſpectu ſuo.
Et tu Domine Deus miſerator & miſericors, patiens, & multæ miſericordiæ, & verax,
Reſpice in me, & miſerere mei, da imperium tuum puero tuo: & ſaluum fac filium ancillæ tuæ.
Fac mecum ſignum in bonum, vt videant qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu Domine adiuuiſti me, & conſolatus es me.
Gloria Patri.

Pſalmus 115.

CRedidi, propter quod locutus ſum: ego autem humiliatus ſum nimis.
Ego dixi in exceſſu meo: Omnis homo mendax.
Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?
Calicem ſalutaris accipiam: & nomen Domini inuocabo.
Vota mea Dño reddam coram omni populo eius: pretioſa in conſpectu Dñi mors ſanctorum eius.
O Dñe, quia ego ſeruus tuus: ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ.
Dirupiſti vincula mea: tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini inuocabo.
Vota meo Dño reddam in conſpectu omnis populi eius: in atriis domus Domini, in medio tui Ieruſalem. Gloria Patri.

Pſalmus 129.

DE profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſeruaueris Domine: Domine quis ſuſtinebit?

Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam ſuſtinuì te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo eius: ſperauit anima mea in Dño.

A cuſtodia matutina vſque ad noctem, ſperet Iſraël in Domino.

Quia apud Dñm miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſraël, ex omnibus iniquitatibus eius.

Gloria Patri, & Filio.

Deinde repetitur Antiphona.

Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum: neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

Poſteà Sacerdos dicit:

Kyrie eleïſon. Chriſte eleïſon. Kyrie eleïſon. Pater noſter. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Ego dixi, Dñe miſerere mei. ℟. Sana animam meam, quia peccaui tibi. ℣. Conuertere Dñe aliquãtulùm. ℟. Et deprecare ſuper ſeruos tuos. ℣. Fiat miſericordia tua Dñe ſuper nos. ℟. Quemadmodũ ſperauimus in te. ℣. Sacerdotes tui induantur iuſtitiam. ℟. Et ſancti tui exultent. ℣. Ab occultis meis mũda me Dñe. ℟. Et ab alienis parce ſeruo tuo. ℣. Dñe exaudi orationẽ meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dñs vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

AVres tuæ pietatis, mitiſſime Deus, inclina precibus noſtris, & gratia ſancti Spiritus illumina cor noſtrum: vt tuis myſteriis dignè miniſtrare, teque æterna charitate diligere mereamur.

DEus, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet ſecretum, purifica per infuſionem ſancti Spiritus cogitationes cordis noſtri: vt te perfectè diligere, & dignè laudare mereamur.

VRe igne ſancti Spiritus renes noſtros & cor noſtrum, Dñe: vt tibi caſto corpore ſeruiamus, & mundo corde placeamus.

MEntes noſtras, quæſumus Domine, Paraclitus, qui à te procedit, illuminet: & inducat in omnem, ſicut tuus promiſit Filius, veritatem.

ADſit nobis, quæſumus Dñe, virtus Spiritus ſancti: quæ & corda noſtra clementer expurget, & ab omnibus tueatur aduerſis.

DEus, qui corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti: da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere.

COnſcientias noſtras, quæſumus Domine, viſitando purifica: vt veniens Dominus noſter Ieſus Chriſtus Filius tuus, paratam ſibi in nobis inueniat manſionem. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus

ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

## ORATIONES

dicendæ cùm Sacerdos induitur ſacerdotalibus paramentis.

Cùm lauat manus, dicat:

DA, Domine, virtutem manibus meis ad abſtergendam omnem maculam: vt ſine pollutione mentis & corporis valeam tibi ſeruire.

Ad Amictum, dum ponitur ſuper caput, dicat:

IMpone, Domine, capiti meo galeam ſalutis, ad expugnandos diabolicos incurſus.

Ad Albam, cùm ea induitur.

DEalba me, Domine, & munda cor meum: vt in Sanguine Agni dealbatus, gaudiis perfruar ſempiternis.

Ad Cingulum, dum ſe cingit.

PRæcinge me, Domine, cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis humorem libidinis: vt maneat in me virtus continentiæ, & caſtitatis.

Ad Manipulum, dum imponitur brachio ſiniſtro:

MErear, Domine, portare manipulum fletus & doloris: vt cum exultatione recipiam mercedem laboris.

Ad Stolam, dum imponitur collo.

REdde mihi, Dñe, ſtolam immortalitatis, quam perdidi in præuaricatione primi parentis: & quamuis indignus accedo ad tuum ſacrum myſterium, merear tamen gaudium ſempiternum.

Ad Caſulam, cùm aſſumitur.

DOmine, qui dixiſti, Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue: fac, vt iſtud portare ſic valeam, quòd conſequar tuam gratiam. Amen.

## ORATIONES

dicendæ ab Epiſcopo quando in Pontificalibus celebrat.

Ad Caligas.

CAlcea, Domine, pedes meos in pręparationem Euangelij pacis, & protege me in velamento alarum tuarum.

Cùm exuitur Cappa.

EXue me, Domine, veterem hominem cùm moribus & actibus ſuis: & indue me nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis.

Cùm lauat manus.

DA Domine virtutem manibus meis ad abſtergendam omnem maculam immundam: vt ſine pollutione mentis & corporis valeam tibi ſeruire.

Ad Amictum.

POne, Dñe, galeam ſalutis in capite meo, ad expugnandas omnes diabolicas fraudes, inimicorum omnium verſutias ſuperando.

Ad Albam.

DEalba me, Domine, & à delicto meo munda me: vt cum his qui ſtolas ſuas dealbauerunt in Sanguine Agni, gaudiis perfruar ſempiternis.

Ad Cingulum.

PRæcinge me, Domine, cingulo fidei, & virtute caſtitatis

lumbos meos, & extingue in eis humorem libidinis, vt iugiter maneat in me vigor totius caſtitatis.

Cùm accipit Crucem pectoralem.

MVnire digneris me Dñe Ieſu Chriſte, ab omnibus inſidiis inimicorum omnium, ſigno ſanctiſſimæ Crucis tuæ: ac concedere digneris mihi indigno ſeruo tuo, vt ſicut hanc Crucem Sanctorum tuorum reliquiis refertam ante pectus meum teneo, ſic ſemper mente retineam & memoriam paſſionis, & ſanctorum victorias Martyrum.

Ad Stolam.

REdde mihi, Domine, obſecro, ſtolam immortalitatis, quam perdidi in præuaricatione primi parentis: & quamuis indignus accedere præſumo ad tuum ſacrum myſterium cum hoc ornamento, præſta vt in eodem in perpetuum merear lætari.

Ad Tunicellam.

TVnica iucunditatis, & indumento lætitiæ induat me Dominus.

Ad Dalmaticam.

INdue me Domine indumento ſalutis, & veſtimento lætitiæ, & Dalmatica iuſtitiæ circumda me ſemper.

Ad Chirothecas.

CIrcumda Domine manus meas munditia noui hominis, qui de cælo deſcendit: vt, quemadmodum Iacob dilectus tuus, pelliculis hœdorum opertis manibus paternam benedictionem, oblato patri cibo potuque gratiſſimo, impetrauit; ſic & oblata per manus noſtras ſalutari hoſtia, gratiæ tuæ benedictionem merear. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui in ſimilitudinem carnis peccati pro nobis obtulit ſemetipſum.

Ad Planetam.

DOmine, qui dixiſti, Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue: præſta vt illud portare ſic valeam, quòd poſſim conſequi tuam gratiam.

Ad Mitram.

MItram, Domine, & ſalutis galeam impone capiti meo: vt contra antiqui hoſtis, omniumque inimicorum meorum inſidias inoffenſus euadam.

Ad Annulum cordis.

COrdis & corporis mei, Domine, digitos virtute decora, & ſeptiformis Spiritus ſanctificatione circumda.

Ad Manipulum.

MErear, precor Domine, manipulum portare mente flebili: vt cum exultatione portionem accipiam cum iuſtis.

## GRATIARVM ACTIO POST MISSAM.

Antiphona. Trium puerorum cantemus hymnum: quem cantabant ſancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Quæ Aña in Feſtis Duplicibus tantùm duplicatur, & tempore Paſchali additur in fine, Alleluia.

¶ Canticum trium puerorum.

BEnedicite omnia opera Domini Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula. Dan. 3.

Benedicite Angeli Domini Domino:

mino: benedicite cæli Domino.
Benedicite aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt, Domino: benedicite omnes virtutes Dñi Domino.
Benedicite ſol & luna Domino: benedicite ſtellæ cæli Domino.
Benedicite omnis imber & ros Domino: benedicite omnes ſpiritus Dei Domino.
Benedicite ignis & æſtus Domino: benedicite frigus & æſtus Domino.
Benedicite rores & pruina Dño: benedicite gelu & frigus Domino.
Benedicite glacies & niues Domino: benedicite noctes & dies Domino.
Benedicite lux & tenebræ Domino: benedicite fulgura & nubes Domino.
Benedicat terra Dominum: laudet & ſuperexaltet eum in ſæcula.
Benedicite montes & colles Domino: benedicite vniuerſa germinantia in terra Domino.
Benedicite fontes Dño: benedicite maria & flumina Domino.
Benedicite cete, & omnia quæ mouentur in aquis, Dño: benedicite omnes volucres cæli Dño.
Benedicite omnes beſtiæ & pecora Domino: benedicite filij hominum Domino.
Benedicat Iſraël Dominum: laudet & ſuperexaltet eum in ſæcula.
Benedicite ſacerdotes Domini Domino: benedicite ſerui Domini Domino.
Benedicite ſpiritus & animæ iuſtorum Domino: benedicite ſancti & humiles corde Domino.
Benedicite Anania, Azaria, Miſaël Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.
Benedicamus Patrem & Filium cum ſancto Spiritu: laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.
Benedictus es Domine in firmamento cæli: & laudabilis, & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſæcula.

Pſalmus 150.

LAudate Dominum in ſanctis eius: laudate eum in firmamento virtutis eius.
Laudate eum in virtutibus eius: laudate eum ſecundùm multitudinem magnitudinis eius.
Laudate eum in ſono tubę: laudate eum in pſalterio, & cithara.
Laudate eum in tympano, & choro: laudate eum in chordis, & organo.
Laudate eum in cymbalis beneſonantibus: laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis ſpiritus laudet Dominum.
Gloria Patri, &c.

Deinde repetitur Antiphona.

Trium puerorum cantemus hymnum: quem cantabant ſancti in camino ignis, benedicentes Dñm.

Deinde Sacerdos dicit:

Kyrie eleïſon. Chriſte eleïſon. Kyrie eleïſon. Pater noſter.
℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua. ℟. Et ſancti tui benedicant tibi. ℣. Exultabunt ſancti in gloria. ℟. Lætabuntur in cubilibus ſuis. ℣. Non nobis, Domine, non nobis. ℟. Sed

nomini tuo da gloriam. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DEus, qui tribus pueris mitigaſti flammas ignium: concede propitius; vt nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

ACtiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præueni, & adiuuando proſequere: vt cuncta noſtra oratio & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.

DA nobis, quęſumus Domine, vitiorum noſtrorum flammas extinguere; qui beato Laurentio tribuiſti tormentorũ ſuorum incendia ſuperare. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

## ORATIONES pro opportunitate Sacerdotis ante Celebrationem & Communionem dicendæ.

### Oratio ſancti Ambroſij Epiſcopi.

*Die Dominica.*

SVmme ſacerdos, & vere pontifex Ieſu Chriſte, qui te obtuliſti Deo Patri hoſtiam puram & immaculatam in ara Crucis pro nobis miſeris & peccatoribus, & qui dediſti nobis carnem tuam ad manducandũ, & ſanguinem tuum ad bibendũ, & poſuiſti myſterium iſtud in virtute Spiritus ſancti tui, dicens: Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis: Rogo per eumdem ſanguinem tuum, magnum ſalutis noſtræ pretium: rogo per hanc miram & ineffabilem charitatem, qua nos miſeros & indignos ſic amare dignatus es, vt lauares nos à peccatis noſtris in ſanguine tuo: Doce me ſeruum tuum indignum, quem inter cetera dona tua etiam ad officium ſacerdotale vocare dignatus es, nullis meis meritis, ſed ſola dignatione miſericordiæ tuæ: doce me, quæſo, per Spiritũ ſanctum tuum, tantum tractare myſterium ea reuerentia & honore, ea deuotione & timore, quibus oportet & decet. Fac me per gratiam tuam ſemper illud de tanto myſterio credere & intelligere, ſentire & firmiter tenere, dicere & cogitare, quod tibi placet, & expedit animæ meæ. Intret ſpiritus tuus bonus in cor meũ, qui ſonet ibi ſine ſono, & ſine ſtrepitu verborum loquatur omnem veritatem. Profunda quippe ſunt nimis, & ſacro tecta velamine. Propter magnam clementiam tuam concede mihi Miſſarum ſolemnia mundo corde & pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis & nefandis, vanis & noxiis cogitationibus. Muni me beatorum Angelorum pia & fida cuſtodia, ac tutela fortiſſima, vt hoſtes omnium bonorũ confuſi diſcedant. Per virtutem tanti myſterij, & per manum ſancti Angeli tui repelle à me, & à cunctis ſeruis tuis, duriſſimum ſpiritũ ſuperbiæ & cenodoxiæ, inuidiæ & blaſphemiæ, fornicationis & immunditię, dubietatis & diffidentiæ. Confundantur qui nos perſequuntur: pereant illi qui nos perdere feſtinant.

Feria II. ¶ Rex virginum, & amator caſtitatis & integritatis, cæleſti rore benedictionis tuæ extingue in corpore meo fomitem ardentis libidinis: vt maneat in me tenor caſtitatis corporis & animæ. Mortifica in membris meis carnis ſtimulos, omneſque libidinoſas commotiones, & da mihi veram & perpetuam caſtitatem cum ceteris donis tuis, quæ tibi placent in veritate: vt ſacrificium laudis caſto corpore & mundo corde valeam tibi offerre. Quanta enim cordis contritione, & lacrymarum fonte, quanta reuerentia & tremore, quanta corporis caſtitate, & animæ puritate iſtud diuinum & cæleſte ſacrificium eſt celebrandum, vbi caro tua in veritate ſumitur, vbi ſanguis tuus in veritate bibitur, vbi ima ſummis, terrena diuinis iunguntur, vbi adeſt ſanctorum Angelorum præſentia, vbi tu es ſacrificium & ſacerdos mirabiliter & ineffabiliter conſtitutus?

Feria III. ¶ Quis dignè hoc celebrare poterit, niſi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum? Scio Domine, & verè ſcio, & idipſum pietati tuæ confiteor, quia non ſum dignus accedere ad tantum myſterium propter nimia peccata mea, & infinitas negligentias meas. Sed ſcio, & veraciter ex toto corde meo credo, & ore confiteor, quia tu potes me facere dignum, qui ſolus potes facere mundum de immundo conceptum ſemine, & de peccatoribus iuſtos & ſanctos. Per hanc omnipotentiam tuam te rogo Deus meus, vt concedas mihi peccatori hoc ſacrificium celebrare cum timore & tremore, cum cordis puritate, & lacrymarum fonte, cum lætitia ſpiritali, & cæleſti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatiſſimæ præſentiæ tuæ, & excubias ſanctorum Angelorum tuorum in circuitu meo.

Feria IIII. ¶ Ego enim, Domine, memor venerandæ paſſionis tuæ accedo ad altare tuum, licet peccator, vt offeram tibi ſacrificium, quod tu inſtituiſti, & offerri præcepiſti in commemorationẽ tui, pro ſalute noſtra. Suſcipe illud quęſo, ſumme Deus, pro Eccleſia ſancta tua, & pro populo quem acquiſiſti Sanguine tuo. Et quoniam me peccatorẽ inter te & eumdem populum tuum medium eſſe voluiſti, licet in me aliquod boni operis teſtimonium non agnoſcas, officium ſaltẽ diſpenſationis creditæ non recuſes, nec per me indignum, eôrum ſalutis pereat pretium, pro quibus victima ſalutaris dignatus es eſſe redemptio. Profero etiam Domine (ſi digneris propitius intueri) tribulationes plebium, pericula populorum, captiuorum gemitus, miſerias orphanorum, neceſſitates peregrinorum, inopiam debiliũ, deſperationes languentium, defectus ſenum, ſuſpiria iuuenum, vota virginum, lamenta viduarum.

Feria V. ¶ Tu enim miſereris omnium Dñe: & nihil odiſti eorum quæ feciſti. Memorare quæ ſit noſtra ſubſtantia: quia tu Pater noſter es, quia tu Deus noſter es, ne iraſcaris

ſcaris ſatis, neque multitudinem viſcerum tuorum ſuper nos contineas. Non enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. Aufer à nobis iniquitates noſtras: & ignem ſancti Spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de
Feria III. carne noſtra: & da nobis cor carneum, quod te amet, te diligat, te delectetur, te ſequatur, te perfruatur. Oramus Domine clementiam tuam, vt ſereno vultu familiam tuam, ſacri tui nominis officia præſtolantem, aſpicere digneris: & vt nullius ſit irritum votum, nullius vacua poſtulatio, tu nobis preces ſuggere, quas ipſe propitius audire, & exaudire delecteris.

Feria I. ¶ Rogamus etiam te, Domine ſancte Pater, & pro ſpiritibus fidelium defunctorum: vt ſit illis ſalus, ſanitas, gaudium, & refrigerium, hoc magnum pietatis ſacramentum. Domine Deus meus, ſit illis hodie magnum & plenum conuiuium de te pane viuo, qui de cælo deſcendiſti, & das vitam mundo, de tua carne ſancta & benedicta, Agni videlicet immaculati, qui tollis peccata mundi, quæ de ſancto & glorioſo beatæ virginis Mariæ vtero eſt aſſumpta, & de Spiritu ſancto concepta; ac de illo pietatis fonte, qui per lanceam militis ex tuo ſacratiſſimo latere emanauit: vt exinde refecti & ſatiati, refrigerati & conſolati exultent in laude & gloria tua. Peto clementiam tuam Dñe, vt deſcendat ſuper panem tibi ſacrificandum plenitudo tuæ benedictionis, & ſanctificatio tuæ diuinitatis. Deſcendat etiam Domine illa ſancti Spiritus tui inuiſibilis incomprehenſibiliſque maieſtas, ſicut quondam in patrum hoſtias deſcendebat, qui & oblationes noſtras Corpus & Sanguinem tuum efficiat, & me indignum ſacerdotem doceat tantũ tractare myſteriũ cum cordis puritate, & lacrymarum deuotione, cum reuerẽtia & tremore, ita vt placidè ac benignè ſuſcipias ſacrificium de manibus meis ad ſalutem omnium tam viuorum quàm defunctorum.

¶ Rogo etiam te Domine per ipſum ſacroſanctum myſterium Corporis & Sanguinis tui, quo quotidie in Eccleſia tua paſcimur & potamur, abluimur & ſanctificamur, atque vnius ſummæ diuinitatis participes efficimur, da mihi virtutes tuas ſanctas, quibus repletus, bona conſcientia ad altare tuum accedam, ita vt hæc cæleſtia ſacramenta efficiantur mihi ſalus & vita. Tu enim dixiſti ore tuo ſancto & benedicto: Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Panis dulciſſime, ſana palatum cordis mei, vt ſentiam ſuauitatem amoris tui. Sana illud ab omni languore, vt nullam præter te ſentiam dulcedinem. Panis candidiſſime, habens omne delectamentum, & omnem Sabbato.

ſaporem, qui nos ſemper reficis, & numquam in te deficis: comedat te cor meum, & dulcedine ſaporis tui repleantur viſcera animæ meæ Manducat te Angelus ore pleno: manducet te peregrinus homo pro modulo ſuo, ne deficere poſſit in via, tali recreatus viatico. Panis ſancte, panis viue, panis munde, qui deſcendiſti de cælo, & das vitam mũdo, veni in cor meũ, & munda me ab omni inquinamento carnis & ſpiritus. Intra in animam meam, ſana & mũda me interiùs & exteriùs. Eſto tutamen, & continua ſalus animæ & corporis mei. Repelle à me inſidiantes mihi hoſtes: recedant procul à præſentia potentiæ tuæ, vt foris & intus per te munitus, recto tramite ad tuum regnum perueniam: vbi non in myſteriis, ſicut in hoc tempore agitur, ſed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris regnũ Deo & Patri, & erit Deus omnia in omnibus. Tunc enim me de te ſatiabis ſatietate mirifica, ita vt nec eſuriam, nec ſitiam in æternum. Qui cum eodem Deo Patre, & Spiritu ſancto viuis & regnas per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

### Alia Oratio ante Miſſam.

AD menſam dulciſſimi conuiuij tui, pie Domine Ieſu Chriſte, ego peccator de propriis meritis nihil præſumens, ſed de tua confidens miſericordia & bonitate, accedere vereor & cõtremiſco. Nam cor & corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem & linguam non cautè cuſtoditam. Ergo ô pia Deitas, ô tremenda maieſtas, ego miſer inter anguſtias deprehenſus, ad te fontem miſericordiæ recurro, ad te feſtino ſanandus, ſub tuam protectionem fugio: & quem iudicem ſuſtinere nequeo, ſaluatorem habere ſuſpiro. Tibi Domine plagas meas oſtendo: tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa & magna, pro quibus timeo. Spero in miſericordias tuas, quarum non eſt numerus. Reſpice ergo in me oculis miſericordiæ tuæ Domine Ieſu Chriſte, Rex æterne, Deus & homo, crucifixus propter hominem. Exaudi me ſperantem in te: miſerere mei pleni miſeriis & peccatis, tu qui fontem miſerationis numquam manare ceſſabis. Salue ſalutaris victima, pro me & omni humano genere in patibulo Crucis oblata. Salue nobilis & pretioſe Sanguis, de vulneribus crucifixi Domini mei Ieſu Chriſti profluens, & peccata totius mundi abluens. Recordare Domine creaturæ tuæ, quam tuo Sanguine redemiſti. Pœnitet me peccaſſe, cupio emendare quod feci. Aufer ergo à me, clementiſſime Pater, omnes iniquitates & peccata mea: vt purificatus mente & corpore, dignè deguſtare merear ſancta ſanctorum: & concede, vt ſancta prælibatio Corporis & Sanguinis tui, quam ego indignus ſumere intendo, ſit peccatorum meorum remiſſio, ſit delictorum perfecta purgatio, ſit turpium cogitationum effugatio, ac bonorum

ſenſuum regeneratio, operumq́ue tibi placentium ſalubris efficacia, animæ quoque & corporis contra inimícorum meorum inſidias firmiſſima tuitio. Amen.

### Oratio S. Thomæ Aquinatis.

OMnipotēs ſempiterne Deus, ecce accedo ad ſacramentū vnigeniti Filij tui Dñi noſtri Ieſu Chriſti: accedo tamquā infirmus ad medicum vitæ, immundus ad fontem miſericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, pauper & egenus ad Dñm cæli & terræ. Rogo ergo immenſæ largitatis tuæ abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lauare fœditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, veſtire nuditatem; vt panem Angelorum, Regem regum, Dominum dominantium tanta ſuſcipiam reuerentia & humilitate, tanta contritione & deuotione, tanta puritate & fide, tali propoſito & intentione, ſicut expedit ſaluti animæ meæ. Da mihi quæſo Dominici Corporis & Sanguinis non ſolùm ſuſcipere ſacramentum, ſed etiam rem & virtutem ſacramenti. O mitiſſime Deus, da mihi corpus vnigeniti Filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod traxit de virgine Maria, ſic ſuſcipere, vt corpori ſuo myſtico merear incorporari, & inter eius membra connumerari. O amantiſſime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via ſuſcipere propono, reuelata tandem facie perpetuò contemplari. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

## ORATIONES poſt Celebrationem & Communionem dicendæ.

### Oratio S. Thomæ de Aquino.

GRatias tibi ago, Dñe ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui me peccatorem, indignum famulum tuum, nullis meis meritis, ſed ſola dignatione miſericordiæ tuæ ſatiare dignatus es pretioſo Corpore & Sanguine Filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et precor, vt hæc ſancta Communio non ſit mihi reatus ad pœnam, ſed interceſſio ſalutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei, & ſcutū bonæ voluntatis. Sit vitiorū meorum euacuatio, concupiſcentiæ & libidinis exterminatio, charitatis & patientiæ, humilitatis & obedientiæ, omniumq́; virtutum augmentatio: contra inſidias inimicorum omnium, tam viſibilium quàm inuiſibilium, firma defenſio: motuum meorum, tam carnalium, quàm ſpiritualium, perfecta quietatio: in te vno ac vero Deo firma adhæſio: atque finis mei felix conſummatio. Et precor te, vt ad illud ineffabile conuiuium me peccatorem perducere digneris: vbi tu cum Filio tuo & Spiritu ſancto, Sanctis tuis es lux vera, ſatietas plena, gaudium ſempiternum, iucunditas conſummata, & felicitas perfecta. Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

## Alia Oratio S. Bonauenturæ.

TRanſfige, dulciſſime Domine Ieſu, medullas & viſcera animæ meæ ſuauiſſimo ac ſaluberrimo amoris tui vulnere, vera, ſerenaque & Apoſtolica ſanctiſſima charitate, vt langueat & liqueſiat anima mea ſolo ſemper amore & deſiderio tui, te concupiſcat, & deficiat in atria tua, cupiat diſſolui, & eſſe tecum. Da, vt anima mea te eſuriat, panem Angelorum, refectionem animarum ſanctarum, panem noſtrum quotidianum, superſubſtantialem, habentem omnem dulcedinem & ſa porem, & omne delectamentum ſuauitatis: te, in quem deſiderant Angeli proſpicere, ſemper eſuriat & comedat cor meum, & dulcedine ſaporis tui repleantur viſcera animæ meæ: te ſemper ſitiat fontem vitæ, fontem ſapientiæ & ſcientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, vbertatem domus Dei: te ſemper ambiat, te quærat, te inueniat, ad te tendat, ad te perueniat, te meditetur, te loquatur, & omnia operetur in laudem & gloriam nominis tui, cum humilitate & diſcretione, cum dilectione & delectatione, cum facilitate & affectu, cum perſeuerantia vſque in finem: & tu ſis ſolus ſemper ſpes mea, tota fiducia mea, diuitiæ meæ, delectatio mea, iucunditas mea, gaudium meum, quies & tranquillitas mea, pax mea, ſuauitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, ſapientia mea, portio mea, poſſeſſio mea, theſaurus meus, in quo fixa & firma & immobiliter ſemper ſit radicata mens mea, & cor meum. Amen.

## Rhythmus S. Thomæ ad ſacram Euchariſtiam.

ADoro te deuotè latens Deitas,
Quæ ſub his figuris verè latitas:
Tibi ſe cor meum totum ſubijcit,
Quia te contemplans, totũ deficit.
Viſus, tactus, guſtus in te fallitur,
Sed auditu ſolo tutò creditur.
Credo quidquid dixit Dei Filius.
Nil hoc verbo veritatis verius.
In cruce latebat ſola Deitas,
At hîc latet ſimul & humanitas:
Ambo tamen credens, atque confitens,
Peto quod petiuit latro pœnitens.
Plagas, ſicut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor.
Fac me tibi ſemper magis credere,
In te ſpem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis viuus, vitam præſtans homini:
Præſta meæ menti de te viuere,
Et te illi ſemper dulcè ſapere.
Pie pellicane Ieſu Domine,
Me immundum munda tuo ſanguine:
Cuius vna ſtilla ſaluum facere
Totum mundum quit ab omni ſcelere.
Ieſu, quem velatum nunc aſpicio,
Oro fiat illud, quod tam ſitio,
Vt te reuelata cernens facie,
Viſu ſim beatus tuæ gloriæ.
Amen.

